1

EPISTOLA

AD

APOLLINAREM LAODICENUM

CELEBERRIMA

DE DIVINA ESSENTIA,

DIVI BASILII NOMINE

AB

EUSTATHIO SEBASTENO

TOTO FERE ORIENTE

PER SUMMUM SCELUS OLIM VULGATA,

Ex Codice MS. Bibliothecæ Angelicæ

Græce, & Latine nunc primum in lucem prodit

HISTORICA NARRATIONE ET ANIMADVERSIONIBUS ILLUSTRATA.

מרשעים יצא רשע׃

Impiis egredietur Impietas:

1. Scem. 24. 14.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

ROMÆ, MDCCXCVI.

Sumptibus Mariani de Romanis.

Typis Joachimi Puccinelli.

PRÆSIDUM FACULTATE.

Digitized by Google

Vitia non decipiunt, nisi sub
specie umbraque virtutum.

Hieron. episi. CVII. ad Lætam.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

AURELIO ROVERELLA

S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO,

ET

S. D. N. PRO-DATARIO.

LEOPOLDUS SEBASTIANI
F.

QUamvis humanarum rerum, EMINENTISSIME PRINCEPS, miserrima conditio sit, ut quicquid vel diuturnis laboribus ad summum perducitur, mox præcipiti lapsu ad imum relabatur; unis tamen Litteris miras temporum vicissitudines eludere singulari Numinis beneficio

Digitized by Google

neficio ac providentia datum est. Quapropter quum experimento cognoverint mortales, frustra sine illarum ope eniti, ut se sempiternæ gloriæ, suaque immortalitati commendarent; officiose eas colere, et, quantum in ipsis erat, sartas tectas conservare, si non omnes, prudentes certe certatim omni tempore studuerunt; hincque non melius atque efficacius, quam calamo, posse alicui aut ingenui amoris pignus, aut grati animi testimonium, exhibere crediderunt.

Monumentorum ingenii dedicatio, quæ ad alterutrum sincere præstandum optima veteribus ratio fuit, jamdiu est, Cardinalis Amplissime, quod in turpissimæ adulationis argumentum defecit, adeoque, ut in præsentia nil magis clientum laudibus suspicione laboret. Sed quoniam summæ temeritatis censetur atque impudentiæ, ab eo, quod honestum irreprehensumque natura est, a veritate potissimum prædicanda, ex alieno vitio abstinere; consilium in hac re meum aperire necesse habeo,

caus-

caussamque ea sinceritate, quo horrore assentatoris notam pertimescere palam feci, explicare, quæ me rudem, ignotum, abjectum hominem in publicum prodeuntem impulit, ut Te Cultissimum, (1) Clarissimum, Eminen-

 tis-

(1) Celebrem antiquitatem, splendorem, inclitaque gesta Roverelleæ Familiæ velle accurate persequi, dicam cum Gamurrino *Hist. Genealog. Fam. Etr. tom.* 2. *pag.* 510. ingenti plane volumine opus esset. Gens enim ista nobilissima, et belli ac togæ dotibus omni ævo clarissima, ab heroicis usque temporibus originem suam longa perillustrium factorum serie ducere meritissimo gloriatur, luculentisque argumentis probat. Anno ante Christum natum ducentesimo in Patricios Romanos cooptata, *Roboreo* cognomine, ab civicis coronis ex robore, quas ob egregia in Patriam merita adepta fuerat, sibi indito, ad Julium usque Cæsarem Romæ claruit. Postea vero, quum Dictator ille Rutilium aliosque ejusdem Familiæ Heroes in Belgica secum expeditione duxisset, populis illis Romano imperio subiectis, in illustrem Belgii urbem, Mæseyke de nomine suo nuncupatam. (Nam *Van Eyke*, quod Latine est *Roboreus*, Italice autem *della Rovere* seu *Roverella*, Belgice appellabatur, *eyke* quercum, sive robur, Belgis denotante.) consedit, ibique per duodecim ætates eo virtutum splendore morata est, ut sæculo reparatæ Salutis octavo duas nobilissimas ex suo sanguine virgines Harlindem et Reinulam, Adalardi et Grinuaræ filias, magna sanctitatis fama miraculorumque apparatu, cœlo asseruerit, quemadmodum ex Opere Act. SS. die XXII. Martii luculenter constat. Seculo autem duo-

tissimum Præsulem in Patronum præ ceteris eligerem, Tibique hoc tenue opusculum, lascivientis vitii et afflictæ virtutis imaginem, humiliter sisterem ac consecrarem.

Quum mature animadvertissem, in solo Deo sapientiam & veritatem reperiri, atque in ipsius tantum contemplatione vitam beatam adipisci: in ceteris vero errores & miserias offendi, quibus diversa studia sectantes in dies agimur sordescimusque; ac totum ideo me ad augustissima Christianæ no- strræ

duodecimo, quum Orlandus et Rodulphus ob præclara facinora in Italiam perhonorifice acciti essent, et *Roverelli* Italice nuncupati, Ferrariæ tandem sedem fixit, Equitum Ferrariensium ordini solemni decreto adscripta oct. Id. Febr. Anno Domini MCCCXCIII. Alberti Marchionis Estensis jussu. Quod ex authenticis monumentis summa fide collegit permagnæ honestatis auctoritatisque auctor Antonius Libanorius tom. 1. pag. 2. 99-100. Ferrariæ suæ aureæ, Quos autem Heroes et Religioni et Patriæ et Militiæ inde pepererit gloriosissimos, præter alios, eximii ingenii summæque probitatis vir Laurentius Hervas ostendit pag. 7. Operis sui, cui titulum fecit, *Analisi Filosofico-Teologica della natura della Carità, in Fuligno* 1792. nec non pag. 4. tom. 9. illustris Operis inscripti, *Idea dell' Universo, in Cesena* 1781. ubi tredecim recenset auctores, qui de tanta Familia scripserunt.

stræ Religionis mysteria speculanda convertissem, hem! sacro quodam horrore correptum me sensi, afflatumque, ut iisdem, quæ tanto ardore ac veneratione scrutabar, mysteriis initiatus, sacræ militiæ nomen darem. Non sprevi divinam vocem, verum internos motus in diem vehementiores secutus, obfirmavi tandem meme, conceptumque propositum sancivi; sed consilium erat, aliquod fidei specimen de more antiquæ disciplinæ producere, hocque inclito alicui probatæ virtutis Heroi nuncupare, sub cujus deinceps signis Christo & Ecclesiæ animose militarem. Non fuit arduum utrumque peragere: nam inter quædam anecdota a me pridem collecta, istud parvum quidem, sed venerandum ecclesiasticæ antiquitatis monumentum peropportunum selegi, pro viribus illustravi, illustratumque Tibi Optimo Principi, in venerationis ac benevolentiæ argumentum dicare mihi suaserunt non tot illæ quidem rerum singularium species, astra micantia in

animi firmamento Tui alte defixa, unde coruscante crebrius tanti splendoris fulgetro nictantur intuentium oculi, mens stupet, lingua mutescit: non ingenii acumen, non sapientiæ magnitudo, non consilii gravitas: non illa prudentia, comitas, humanitas, quibus omnium in Te studia atque ora convertis; verum eximia illa erga Numen Pietas, & perfectissima Caritas, qua ex Apostolica sententia in Deo manens, totus flagras, atque in perpetuas erga pauperes largitiones effunderis. Hæ, hæ scilicet perraræ illæ virtutes grata lineandæ cedro in hac arida præsertim Mundi canicie squalidaque seculorum senecta, quæ Te meliora in terris, beatitudinem in cœlis sperare jubent; me in Tui admirationem rapuerunt, timentique dederunt animos, ut Eminentiam Tuam, gravioribus licet sanctioribusque curis districtam, hocce exiguo utcumque munusculo fidenter adirem interim dum reciprocantibus procellis, incursionibus, præliis totus fœde lace-

ratur

Digitized by Google

ratur Europæus Orbis: dum aræ, foci, & penates armis incessuntur: dum neque eorum sanguini parcitur, pro quibus fundendus est sanguis: dum heic lasciva obstrepit, illic modesta obmutescit inter militaria signa libertas: dum denique res publicæ eo tandem rediguntur, ut nisi turpissimæ servitutis beneficio, aliter salvæ esse non posse videantur.

Vilia non temnis, MAGNANIME, modo animus dantis donis suis opulentior sit. Accipias igitur qua soles serenitate hanc devotionis tesseram, & venia consoleris quod remunerari laude minus potes. Benevoli autem pectoris officio agnito nec spreto, qualecumque est donarium, quod tuis aris appenditur, æternum esse patiaris ejus observantiæ monumentum, qui D. O. M. ut Te diu sospitem servet, virtutibus augeat, meritorum cumulo compleat, beatissimum tandem reddat, supplex orat, & nunquam ex animo deprecari desistet.

Digitized by Google

PROLEGOMENA

DE INSTITUTI RATIONE

AD

LECTOREM BENEVOLUM,

DEQUE

PATRUM ANTE-NICÆNORUM ORTHODOXIA.

Post varios nec parvos labores in humanis disciplinis illustrandis pertinacissime insumtos, ut ægrum & afflictum animum aliquantum levaremus, dulcissimum ludum lusimus per dies aliquot, amice Lector. Quum enim benignitate doctissimi atque humanissimi Patris Richardi Tecker (quis unquam Germanorum candidos mores satis laudarit ?) Ordinis Eremitarum divi Augustini, Bibliothecæ Angelicæ de Urbe curatoris, manu exaratos ejusdem Bibliothecæ libros magna cum voluptate versaremus, in membraneum codicem in 8. indicimus, C. IV. 14. in catalogo notatum. Is liber, qui ad decimum saltem sæculum referri potest, varias variorum Patrum epistolas exiguo characteris schemate ex accurato aliquo vetustoque exemplari accurate

expres-

expressas comprehendit, licet tribus in locis, ob quorumdam foliorum amissionem, mutilus. Priorem libri partem octoginta septem magni Basilii epistolæ occupant a *pag.* 1. ad 145. Basilium Photius, Constantinopolitanæ ecclesiæ episcopus, excipit a *pag.* 146. ad 195. cum septenis et quadragenis epistolis vulgatis. Photium Gregorius Theologus, exhibens a *pag.* 196. ad 307. octoginta quinque epistolas, quarum postrema Flaviano episcopo inscripta hocce exordio : Οὐκ ἐν καλοῖς, ὦ ἄνθρωπε τοῦ θεοῦ, τὰ ἡμέτερα· falso ipsi Nazianzeno adscripta est. Sunt enim eæ litteræ, quibus Gregorius Nyssenus, Basilii frater, afflictæ valetudinis suæ caussam, contumelias ab Helladio acceptas, Flaviano exponit. Extant autem interprete Leunklajo, *tom.* 3. *operum Nysseni Paris. pag.* 645.

Cæterum ex Gregorianis hisce epistolis hæc obiter notavimus significanda : *In epist.* 51. *pag.* 812. & codicis 237. supplendum inscriptioni : Νεκταρίῳ ἐπισκόπῳ Κωνσταντινουπόλεως· atque *in epist.* 220. *pag.* 908. & codicis 245. Θεοδώρῳ ἐπισκόπῳ Τυάνων. *Epistola* 59. edita *pag.* 816. inscribitur Σωφρονίῳ ὑπάρχῳ· in codice vero *pag.* 251. Σωφρονίῳ μαγίστρῳ. *Epistola* 118. edita *pag.* 855. inscribitur Φωτίῳ· in codice autem *pag.* 254. Εὐδοξίῳ ῥήτορι. *Epistola* 39. edita *pag.* 802. inscribitur Εὐδοξίῳ ῥήτορι· in codice vero *pag.* 265. Φιλαγρίῳ. *Epi-*

Epistola demum 28. edita *pag.* 792. inscribitur Εὐσεβίῳ Σαμοσατεῖ· in codice autem *pag.* 291. Φλαβιάνῳ ἐπισκόπῳ.

Post Gregorium Theodorus Metropolita Nicænus occurrit, octo epistolas fovens in sinu suo a *pag.* 308. ad 315. quas in lucem publicam editurum frustra promisit laboriosus Allatius *Diatriba de Simeonibus pag.* 132. Theodorum Simeon ille Logotheta, cognomento Metaphrastes, sequitur a *pag.* 316. ad 326. cum novem de epistolis suis, quas ipsas penes se habens laudatus Allatius, spopondit memorato loco, editurum cum præcedentibus Theodori et sequentibus Nicolai; sed postea, mutata, ut videtur, sententia, solas edidit *in eadem Diatriba pag.* 254. Simeonem igitur Nicolaus Patriarcha Constantinopolitanus subsequitur a *pag.* 327. ad 331. secum habens septem epistolas: quibus quatuordecim de Synesianis a Turnebo & Petavio editis accedunt a *pag.* 331. ad 336. Post has tandem a *pag.* 338. ad 361. quinquaginta Isidori Pelusiotæ epistolæ vulgatæ absolvunt librum: quem, inquam, cum versaremus, nobilissimum istud hæreticæ pravitatis, lividissimi animi, Eustathianæ demum sycophantiæ monumentum obtulit sese *pag.* 106. post tot tenebrarum sæcula in lucem publicam prodeundum.

Avide medius fidius arripuimus quod tam vehementibus assultibus integerrimum Basilii honorem

rem oppugnarat; mirabundi, quomodo nemo hactenus ex iis, qui eum librum trivisse videntur, aut cognoverit, aut tanti fecerit, quanti certe ecclesiasticorum monumentorum studiosi facturi sunt. Panditur quippe ea epistola singularis Eustathii illius Sebasteni perfidia, probatur egregie eximia magni Basilii innocentia, illustrantur non mediocriter complura ecclesiasticæ antiquitatis loca, variæ demum variorum opiniones super ingentibus illis Basilium inter et Eustathium dissensionibus perbelle dissolvuntur. Quod ut facilius fieri possit, viam non sinuosam aut salebrosam studiosis stravimus, rerum seriem quanta quivimus diligentia ac brevitate contexendo cum ex iis omnibus, qui ea de re egerunt aut locuti sunt, tum maxime ex Basilianis epistolis, purissimo veritatis fonte. In Eustathii autem vita sedulo colligenda exponendaque, ut quibus singula fuerunt ponderanda, plurimum laboris & accurationis impendimus. De illius enim gestis, sicujus unquam, multum inter se dissentiunt auctores veteres: unde ortæ tam insignes recentium historicorum hallucinationes, qui omnia apud omnes sine delectu criticaque amplexi sunt: Inter quos Baronius ille, vir alioquin sine controversia doctissimus & laboriosissimus, imprimis recensendus, qui linguarum scientia imparatissimus, cunctaque insuper in priscis scriptoribus utcumque secutus, fœdissimos errores studiosæ juventuti propinavit. De

De re nostra complures quidem, vel a nemine hactenus animadversi, notandi fuerint; sed quum non ea esset instituti ratio, ceteris missis, unum selegimus jugulandum, qui fortasse offensionem aliquibus posset efficere. Deceptus Athanasii verbis epistola ad Ægypti & Libyæ episcopos (minime vero, ut allegat, *Oratione prima contra Arianos*) tradit *tom.* 4. *pag.* 428. *n.* 18. *edit. Luc.* Eustathium Sebastenum in Concilio Sardicensi damnatum fuisse anno trecentesimo quadragesimo septimo. Sic enim indistincte maleque acceptum refert Athanasii locum „ *His connumerantur Acacius quoque & Patrophilus & Narcissus ad omnem impietatem audacissimi, qui in magno Concilio Sardicensi ab Ecclesia rejecti fuere, unaque cum his Eustathius, qui nunc Sebaste est, & Eudoxius, & Basilius patrocinio impietatis ad istas fortunas subvecti* „. Sed Athanasius *tom.* 1. *part.* 1. *pag.* 277. *edit. Paris.* loquens de Arianis, qui depositos & indignos ad episcopatum promovebant; posteaquam Ursacium & Valentem, olim de presbyteri gradu dejectos, postmodum ob impietatem episcopos designatos, recensuit; atque hisce addi jussit Acacium, Patrophilum, & Narcissum, viros ad omne facinus audacissimos. ὗτοι μὲν ὖν, inquit, καὶ ἐν τῇ κατὰ Σαρδικὴν γενομένῃ μεγάλῃ συνόδῳ καθῃρέθησαν. *Hi igitur in magna Sardicensi Synodo depositi fuere*. Mox, facta interpunctio-

ctione, ita pergit : Εὐςάθιός τε, ὁ νυῶ ἐν Σεβαςείᾳ, Δημόφιλός τε, καὶ Γερμίνιος, καὶ Εὐδόξιος, καὶ Βασίλειος, συνήγοροι τῆς ἀσεβείας ὄντες, εἰς τοῦτο προήχθησαν. *Eustathius quoque, qui modo Sebastenam ecclesiam moderatur, & Demophilus, & Germinius, & Eudoxius, & Basilius, impietatis patroni, ad idem* episcopale *munus sunt evecti*.

Ejusmodi bene multa non modo in Baronio, sed & in aliis plerisque neotericis scriptoribus, aut Græcæ linguæ inscitia laborantibus, aut infidorum interpretum (qui immane! quanta litteris acerba vulnera inflixerint) confisis, non sine magna studiosæ Juventutis jactura, occurrunt deploranda. Quamobrem iis, quibus aliquid ex Græcorum præsertim monumentis libare opus est, multa cautio adhibenda, ne novas salebras in salebrosum atque horribile litterarum iter importent.

Accipe igitur æquo animo, erudite ac benevole Lector, istud parvum quidem, sed fidissimum nostri erga sacras disciplinas amoris testimonium, & parce inexpertæ juventuti, siquo peccantem deprehenderis. Parvum autem, inquam, quod ne eadem, quæ ceteris laboribus, fortuna vel huic qualicumque lucubrationi contingeret, semper ac vehementer cum brevitate pugnandum fuerit. Longe mehercule uberiores effecisset adnotationes uberrima seges, nisi tantus metus vetuisset; libenterque lusisset calamus

mus in tot nuperos novatores, qui, audacia Arianis simul & Socinianis & Jansenianis longo post se intervallo relictis, suarum pravissimarum opinionum toxicum in male sanos hominum animos procacissime evomunt, non sine magno antiquissimorum Patrum dedecore, quos ad libitum suum aut tamquam fautores Tartareæ doctrinæ perinvitos abripiunt, aut quasi Platonismo infectos carpunt, laniant, profligant. Quod saltem facinus ne per nos quidem inultum dimitteretur, non potuimus, quin singula pæne monumenta, in Christianæ veritatis testimonium ante Nicænam Synodum erecta, lustraremus, eorumque splendorem, ab aliis etiam magno apparatu ostensum, compendiario sermone vel in cæcutientes effunderemus, suadente etiam R. P. Petro Masdea Ord. Præd. S. T. D. viro quidem, ob mirabilem morum integritatem, uberrimamque reconditæ eruditionis supellectilem, gravissimo. Concedimus quidem, nonnulla paullo incuriosius ab sanctis illis Patribus de ineffabili Trinitatis mysterio interdum jacta esse; sed caussa primaria prudentibus omnibus videtur fuisse, quod quum gentiles philosophos ab Christiana professione alienos vellent conciliare, & probabilem fidei nostræ rationem illis reddere; salva dogmatis ipsius substantia, pleraque illorum more institutoque explicarint „ *Doctores illi & Christianæ legis magistri*, inquit doctissimus Petavius,

quam-

quamvis Trinitatis mysterium sic apud Gentiles interpretati fuerint, ut quædam de eo Platonico pæne more disputarint; non hæc tamen interior fuit mens sententiaque ipsorum, sed declarandi solum gratia, & ut captus erat audientium, aut eorum scripta versantium, eum interpretationis modum adhibuerint. Quæ ratio in rudibus non modo cathecumenis, sed etiam Christianis instituendis hodieque valet: ut cum illis paullo reconditiora dogmata traduntur, ita uti capere possunt, & rerum usitatarum argumentis ac similitudinibus explicentur „. Hinc Arius, & id genus hæretici ad erroris præsidium sui veterum aliquot testimoniis abuti solebant: qui, ut inquit Hieronymus *Apol.* 2. contra Ruffinum, antequam in Alexandria quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam & minus caute locuti sunt, ut Dionysius Alexandrinus, pro cujus defensione Athanasius librum scripsit peculiarem; & Gregorius Thaumaturgus, quem ob quædam minus accurate libris suis inspersa purgat Basilius *epistola ducentesima decima*.

Sane quidquid hæreseon opinionumque falsarum primis ecclesiæ temporibus emersit, ac præsertim Ariana tota perfidia, ex Platonicorum commento caussam & originem accepit „ *Doleo*, inquit Tertullianus lib. de anima cap. 23. *bona fide Platonem hæreticorum omnium condimentarium esse factum* „. Certissima enim

Platonis sententia est, tum in Timæo, tum alibi ab eo tradita, summum ac supremum quemdam esse Deum, eundemque unicum & singularem. Hunc aliorum Deorum, & quidem minorum inferiorumque, satorem & propagatorem fuisse. Secundum artificem & principium rerum omnium. Tertium autem mundi animam, docet. Quos tres Numenius Pythagoreus totidem nominibus appellat πάππον, ἔγγονον, ἀπόγονον, *avum*, *filium*, *nepotem*.

I. Philo ille tantopere omni ævo laudatus, Sapientiam, sive Verbum, vere unum cum Patre Deum esse declarat *in libro de Somniis pag.* 655. *tom.* 1. *edit. Mangey.* Sæpe, ut *de Confus. Ling. pag.* 414. *lin.* 27. ipsum divinum Verbum Dei imaginem vocat, in qua nulla ad exemplar obstet discrepantia: unde persuasum habuisse videtur, quæcumque divinæ naturæ propria sunt, ea cum Filio & Verbo Dei communicari. Inquiens *de Mundi Opificio pag.* 4-5. omnes Dei virtutes a Verbo recipi & comprehendi, præclare docet, Verbum a Patre distingui, & absolutissimam ejus imaginem esse, cui nihil ad accuratam perfectamque cum exemplari similitudinem desit. Ergo tum unitatem substantiæ, tum personarum distinctionem cognovisse plane videtur. Ergo abhorret Philonis sententia a commentis Arianorum, qui duplex Verbum fingebant, quorum alterum ipsa esset Dei ratio nihil prorsus ab eo distincta, alterum

ab

ab hac ratione productum, atque instrumenti loco ad cæteras res creandas adhibitum. Immutabilitatem Patri & Filio concedit *lib.* 2. *Legum alleg. pag.* 88-89. *tom.* 1. Omnipotentiam *lib.* 3. *pag.* 130. *lin.* 50. Ingeniti Dei hoc maxime proprium videtur ei *lib.* 1. *pag.* 52. *lin.* 11. & *lib.* 3. *pag.* 97. *lin.* 29. ut omnia omnino impleat, nec quidquam sui vacuum relinquat. Idem de Verbo sentit *lib.* 2. *de Somniis pag.* 691. *lin.* 15. Ipsum divinum Verbum ideo domum Dei vocat merito *lib. de migr. Abraham pag.* 437. quod Pater omnia sua Filio tradiderit. Quod Verbum secundum Deum appellet, & secundas Filio tribuat apud Eusebium *Præpar. Evangel. lib.* 7. *cap.* 13. aliam in ejus operibus caussam non reperies, nisi quia Filius a Patre genitus est, ab ipsoque omnia accepit. Filium συναΐδιον Patri egregie asserit *lib. de Confus. Ling. pag.* 401. *lin.* 9. ubi necessario incorruptibilem, sive æternum, statuit ex eo, quod τοῦ ἀϊδίου Λόγος, *sempiterni* sit *Verbum*. Ergo Platonismi & Arianismi nota, quam ei inurere conantur, in fumum evanescit. Non is enim erat Philo, qui Dei nomen & divinas proprietates tribueret Verbo, si illud rebus creatis accenseret; imo *libro de Decalogo pag.* 89-90. *tom.* 2. egregie insaniam illam profligat, quæ tum plerisque hominum illudebat, ut rebus creatis, quæ aliquando non extiterunt, Dei nomen adscriberent.

 II. Pa-

II. Pastoris opus, quod Hermæ inscribitur, cujuscumque illud sit, ad Apostolicas de sancta Trinitate traditiones confirmandas inutile non est; imo ab vetustissimis scriptoribus laudatur, puta Clemente Alexandrino, Tertulliano catholico, Origene, Athanasio, Hieronymo, & Irenæo, a quo etiam ceu divina Scriptura citatur *lib.* 4. *contra hæres. cap.* 20. *pag.* 253. *ed. Venet.* hisce vel ab Eusebio *lib.* 5. *Hist. cap.* 8. aliisque relatis verbis: Καλῶς οὖν εἶπεν ἡ γραφὴ, ἡ λέγουσα· Πρῶτον πάντων πίστευσον, ὅτι εἷς ἐστὶν ὁ Θεός, ὁ τὰ πάντα κτίσας, καὶ καταρτίσας, καὶ ποιήσας ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα. *Bene igitur pronunciavit Scriptura, quæ dicit: Primum omnium crede, quod unus est Deus, qui omnia constituit & consummavit, fecitque ex nihilo ut essent omnia.* quæ quidem in secundo Pastoris libro hodieque leguntur mandato primo. Ipsum præterea apud quasdam Græciæ ecclesias publice lectum, ac plures ex priscis auctoribus testimonia inde protulisse, Eusebius *hist. lib.* 3. *cap.* 3. & Hieronymus *in Catal. cap.* 10. *pag.* 833. *tom.* 2. *ed. Veron.* testantur. Et sane de Christi divinitate tam accurate disserit, ut mirum sit, ejus patrocinium a Socinianis venditari, qui non modo præsidium, sed ne ullum quidem effugium illis reliquit. Ejus de Filio Dei præclarissima sententia apprime elucet *lib.* 3. *similit.* 5. *cap.* 4. *pag.* 107. *ed. Clerici*: ubi

etiam

etiam ejusdem incarnationem describit, qui quum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, propterea que a Patre exaltatus accepit nomen, quod est super omne nomen. Pro eo autem, quod dicat ibidem: *Filius Spiritus Sanctus est*, non sentire cum Sabellio & Socinio existimandus; sed ex parabolæ ratione per filium, quocum paterfamilias deliberat, Spiritum Sanctum indicare: quoniam verum filium per servum, cui vinea committitur colenda, conceptis verbis nunciare videtur. Christum denique Deum fuisse, antequam Spiritus Sanctus in virginali utero ejus corpus effingeret, contra ac Sociniani credunt, probat illis verbis *cap. 6.*: *Nuncius audit illum Spiritum Sanctum, qui infusus est omnium primus in corpore, in quo habitaret Deus.*

Huic addendus personatus ille Hermas cum pseudepigrapho Poemandra suo, quem post Apostolicam litteris proditam doctrinam elucubrasse videtur; atque ex eo, quod Scripturarum iste quicumque nostrarum bene gnarum se prodat, Mercurium illum Trismegistum non esse invitus evincit, quem haud multo Moyse antiquiorem fuisse consentiunt universi. Uno verbo, propterea quod *capite primo* λόγον illum & νȣ̃ν a Patre genitum, ei ὁμοȣ́σιον esse doceat, locum plane nullum dubitandi relinquit, quin semichristianus homo fuerit ex illa fæce veterum hæreticorum, quos nascenti Ecclesiæ

 simi-

similibus, atque in hisce ejus libris sunt, obstrepuisse nugis ex Irenæo & Epiphanio didicimus. Nam vocabulum illud nemo, nisi Christianis initiatus mysteriis potuit cogitare. Unde tandem evincitur, jam ab Apostolorum temporibus verbum illud compositum usurpari.

III. Clemens, Romanus Pontifex, Christi divinitatem profitetur *epistola prima ad Corinthios cap. 2. pag.* 147-48. *tom.* 1. *edit. Clerici*, pro eo, quod Deum passum dicat. Ibi enim divinæ naturæ majestatem cum carnis humilitate & crucis ignominia conjungens, duplicem naturam agnoscit, unam Verbi personam, quæ carne passa est. Dei autem passiones proponit, ut longe maximum mysterium, ex quo omnia sanctioris vitæ præcepta ducantur, quodque semper Christianis ante oculos ponendum sit, nedum de latenti metaphora admonendi sint. Ergo Photii judicium *Cod.* 126. *pag.* 306. *ed. Rothom.* quo tantum nituntur Sociniani, iniquum est. Adde *cap.* 16. *pag.* 157. *cap.* 36. *pag.* 168. & quæ laudat Basilius *lib. de Spiritu Sancto cap.* 29. *pag.* 61. *b. tom.* 3. *edit. Paris*.

IV. Sociniani *Platonis. part.* 2. *cap.* 5-6. audacter pronuntiant, Ignatium illum, ὃς διὰ τῆς τοῦ μεγάλου Πέτρου δεξιᾶς τῆς ἀρχιερωσύνης τὴν χάριν ἐδέξατο, καὶ τὴν ἐκκλησίαν Ἀντιοχέων ἰθύνας, τὸν τοῦ μαρτυρίου στέφανον ἀνεδήσατο, *qui magni Petri dextra pontificatus gratiam*

tiam suscepit, cumque Antiochensem ecclesiam rexisset, martyrii corona redimitus est, ut refert Theodoretus *Dial.* 1. *pag.* 33. *b. tom.* 4. *ed. Paris*. Pronuntiant igitur, aut ab Apostolica traditione discessisse, aut ejus epistolas, si modo ejus sunt, fœde interpolatas fuisse. Quam religiose Ignatius (de quo Eusebium adeas *hist. Eccles. lib.* 3. *cap.* 46.) Apostolorum vestigia presserit, & quam tenaciter acceptis semel ab illis dogmatibus inhæserit, ipse ejus epistolæ ad celeberrimas Asiæ atque Occidentis ecclesias scriptæ, clarissima in luce ponunt : de quarum ab Hieronymo de viris illustribus *cap.* 16. *pag.* 842. *tom.* 2. *ed. Veron.* recensitarum ingenuitate non solum nemo sanus quidpiam hactenus dubitavit, sed universa semper Ecclesia maximo in pretio eas habuit. Ipse igitur Christi divinitatem adstruit *epistola ad Ephesios cap.* 7. *pag.* 13. *tom.* 2. *ed. Clerici Amstel. Ad Trallianos cap. pariter septimo pag.* 23. *Ad Romanos cap. tertio pag.* 27. *sexto & septimo pag.* 29. *Ad Smyrnæos cap. primo pag.* 33. *& nono pag.* 37. Quibus in locis Christum aut Deum aut Dei Filium palam vocat. Quamobrem fallaciter, ne dicam inscienter, quidam, ut Valesius *in notis ad historiam Abgari apud Eusebium lib.* 1. Christum apud catholicos primi ævi scriptores Deum appellari negant. Filii æternitatem probat *epistola ad Magnesianos cap.* 6. *pag.* 19. hisce

de Christo verbis : Ὃς πρὸ αἰώνων παρὰ πατρὶ ἦν, καὶ ἐν τέλει ἐφάνη. *Qui ante sæcula apud Patrem erat, & in fine apparuit*. Et *cap*. 8. ubi eundem Jesum Christum Dei & Filium & Λόγον ἀΐδιον, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθόντα, *Verbum æternum, non a Sige progredientem*, appellat. Tandem unam Patris Filiique substantiam exprimit *capite septimo* ejusdem epistolæ. Qui locus eorum audaciam profligat, qui unitatem essentiæ numericam ne Patribus quidem Nicænis cognitam fingunt.

V. Polycarpus, qui ab Apostolis ipsis edoctus, cumque eorum multis, qui Dominum viderunt, conversatus, tandem valde senex nobilissimum martyrium consummavit; ταῦτα ἐδίδαξεν ἀεὶ, ἃ καὶ παρὰ τῶν Ἀποστόλων ἔμαθεν, ἃ καὶ ἡ ἐκκλησία παραδίδωσιν, ἃ καὶ μόνα ἐστὶν ἀληθῆ· *ea semper docuit, quæ ab Apostolis didicerat, quæ Ecclesia tradit, quæ sola sunt vera*, teste Irenæo *lib*. 3. *cap*. 3. *n*. 4. *pag*. 176. *ed*. *Ven*. *In epistola ad Philippenses*, quæ tantum Unitariis placet, eo quod in ipsa nihil de Verbo, nihil de Filii divinitate atque æternitate legi existiment; ubique, puta *capite secundo, quinto & sexto*, Christum ut omnipotentem Dei Filium prædicat, una cum Patre colendum ac metuendum.

VI. Justinus, antiquissimus et philosophus, *in Apologia prima pag*. 57. *a*. & *secunda pag*. 92. *d*. *edit*. *Paris*. honorificentissime

me de Christo sentit, ac Dei Patris Filium appellat, ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως ὑιός, ὁ λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν καὶ γεννώμενος, ὅτε τὴν ἀρχὴν δὶ αὐτοῦ πάντα ἔκτισε καὶ ἐκόσμησε. Χριςὸς μὲν, κατὰ τὸ κεχρίσθαι καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δὶ αὐτοῦ τὸν Θεόν, λέγεται· ὄνομα καὶ αὐτὸ περιέχον ἄγνωςον σημασίαν· ὃν τρόπον καὶ τὸ Θεός προσαγόρευμα οὐκ ὄνομά ἐςιν, ἀλλὰ πράγματος δυσεξηγήτου ἔμφυτος τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων δόξα. Ἰησοῦς δὲ, καὶ ἀνθρώπου, καὶ σωτῆρος ὄνομα καὶ σημασίαν ἔχει· καὶ γὰρ καὶ ἄνθρωπος, ὡς προέφημεν, γέγονε, κατὰ τὴν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς βουλὴν ἀποκυηθεὶς. *qui solus proprie Filius dicitur, Verbum, quod & antequam mundus crearetur una cum Patre erat, & genitum est, cum per illud initio omnia condidit ornavitque. Christus quidem, eo quod unctus sit, & per ipsum cuncta Deus ordinaverit, appellatur. (quo quidem & ipso nomine res significatur indeprehensa: quemadmodum & Dei appellatio haud nomen est, sed rei inexplicabilis naturæ hominum insita opinio.) Jesus autem, & hominis, & salvatoris nomen ac notionem habet. Nam homo etiam, ut antea diximus, factus est, ex Dei & Patris voluntate productus.* Qui quidem locus tum ad divinas in Christo proprietates enunciandas, tum ad utramque naturam probandam luculentissimus est. Verbi æternitatem profitetur *in Dialogo cum Tryph. pag.* 206. *d.* Οὐ

καὶ

καὶ ἄνθρωπος γεννηθῆναι διὰ τῆς παρθένου Μαρίας ἦλθε, καί ἐστιν ἀεὶ. *Qui advenit, ut homo fieret ex Virgine Maria, ac semper est*. Idem simul cum Patre ante omnes res creatas extitisse docet etiam *pag*. 159. *d*. Πρὸ πάντων τῶν ποιημάτων συνῆν τῷ πατρὶ · quod repetit *pag*. 222. *d*. Christum *in eodem Dialogo* passim, præsertim *pag*. 182. *&* 204. *c*. Deum Deique Filium ac Dominum virtutum in Scripturis nominari ostendit : in quibus, maxime in Psalmis, quicquid de summo omnium Deo ac Domino dicitur, omne Christo convenire probat, quem Θεὸν προσκυνητὸν, *Deum adorandum*, ab iisdem sacris Litteris vocari pronuntiat *ibidem pag*. 166. *e*. Sæpe trinas sanctissimæ Trinitatis personas aperte confitetur, ut *Apolg*. 1. *cap*. 13. 61. 65. ac *capite sexagesimo quarto* allegorica explicatione Filium vere ex Patris substantia genitum, atque ejusdem cum Patre esse naturæ; ac Spiritum Sanctum vere ex Dei substantia procedere, ejusdemque cum Patre & Filio naturæ esse, declarat. Nec porro secundum Filio locum, tertium Spiritui assignando *pag*. 79. *b*. naturam dissociat, verum originis ordinem servat. Qua igitur fronte Arianismi nota tanto viro potest inuri, quasi vero inferioris cujusdam, ut adversarii ganniunt, conditionis esse Filium, etiam antequam homo fieret; ac minorem Deum, putarit, qui nec ubique esset, sed spatio circumscriberetur ali-

aliquo, & paternæ voluntati serviret? Quod *in pluribus Dialogi locis* ipsum Filium ἕτερον Θεὸν, *alium Deum*, appellet, non est, quod plures Deos, ut Ethnici, aut duo principia, ut Gnostici, admitteret; sed quia locutionis genus adhibet comparationi consentaneum, qua Filium velut ignem ex alio igne accensum solet exprimere; ita tamen, ut a Patre separari non posse credat. Quam summam utriusque in eadem natura æqualitatem confirmat *Apolog.* 1. *cap.* 13. *pag.* 51. *b.* immo conceptis verbis pronuntiat *ibidem pag.* 82. *a.* & *Apol.* 2. *pag.* 92. *d.* necnon *Dial. cum Tryphone pag.* 157. *e.* 200. 218. *c.* 219. *b.* & 221. *e.* Ergo Platonismi atque Arianismi iniquissime arguitur: siquidem ille solummodo Filii ex Patre progressus citra ullam paternæ substantiæ abscissionem aut imminutionem, ignis ex alio igne accensi comparatione expressus, nil ambigui dubiique de ejus doctrina relinquit: qui insuper, ut difficultati occurreret, ignem alio ex igne accensum separatim existere, diserte monet, Verbum a Patre separari non posse. Cæterum qui Justinum putasse, fidem divinitatis Christi parum referre ad salutem consequendam, modo ille pro Messia & humani generis reparatore credatur colaturque, ex *Dialogi cap.* 48. *pag.* 144-45. colligunt, ii sane non S. Martyris sententiam, sed vero suam in Græcis litteris inscitiam arguunt.

VII. Ta-

VII. Tatianus præ ceteris, qui de sacra Religione scribentes, Nicænam Synodum præcesserunt, notatus ab iis est, qui antiquis Christianis auctoribus ne veniam quidem indulgent. Cum enim haud longe a magistro suo Justino abiisse garriant, Verbum a Patre productum ex æterno fuisse non actu & in seipso, sed tantummodo in λογικῇ δυνάμει, *rationali vi ac potestate*, ajunt credidisse; nec porro συναΐδιον Patri, sed creatum; sicque, veluti ab opifice, voluntate productum. *Capite* præterea *septimo suæ contra Græcos orationis pag.* 19. *edit Oxon.* probare dictitant, divinum Verbum rebus creatis nulla excellentia præstare, nisi quod illud ceteris antiquius, & ante omnia procreatum, aliorum etiam caussa principiumque fuerit. Mox allatis anonymi cujusdam Scholiastæ verbis, iniqui eorum judicii suffragatoris (quemadmodum *dissertat. in Tatianum* ad calcem edit. Oxon. edita *pag.* 12. videre est). sic tandem pronuntiant „ *Sane quidem laterem lavabit, siquis ejus generis nugatores a culpa velit eximere; & singulatim Tatianum nemo purgare poterit, qui Valentini insanas de Æonibus opiniones animo imbiberat, ut docet nos Irenæus, cui Clemens Alexandrinus Strom.* 3. *pag.* 465. *eidem æqualis, suffragatur. Ait enim, illum hæresiarcham e schola Valentini prodiisse.* ὁ δὲ ἐκ τῆς Οὐαλεντίνου ἐξεφοίτησε σχολῆς. *non quo Valentini auditor fue-*

fuerit unquam, sed quod ejus perceperit disciplinam, a qua totum habuit fere quicquid habuit „. At quo ex animo tam famosa de Tatiano sententia prodierit, quisque percipit, qui probe novit, nondum ad Valentiniana castra defecisse Tatianum, quum suam contra Græcos orationem edidit. Ecquis tandem tale quidpiam de eo suspicarit, quem tam magnifice mundum a solo Deo creatum prædicare audiat, ac futuram corporum resurrectionem aliaque hujusmodi dogmata videat confirmare? Satis profecto sua eum egregia principia præclarissimæque sententiæ defendunt, quas tum interpretum vitio deformatas, tum minus animadversas Tatiani censoribus, illustrare nonnulli aggressi sunt.

Cæterum aperte Tatianus *cap. 5. pag. 247. ed. Justini Paris.* profitetur, ut Patrem, ita etiam ipsum Filium rerum omnium nondum creatarum hypostasin fuisse, easque cum Patre sustentasse, non functione donatum propria, sed voluntaria administratione. Ergo docet, Deum in Verbo suo extitisse, & Verbum in Deo. Neque vero, cum ait: Θεὸς ἦν ἐν ἀρχῇ· τὴν δὲ ἀρχὴν λόγου δύναμιν παρειλήφαμεν. *Deus erat in principio: Principium autem Verbi potentiam esse accepimus*; creandi facultatem intelligit, ut Petavio visum est; sed vim rationis, quæ Verbum in ipso principio, sive ab ipsa æternitate; & alia omnia in ipso principio, nempe ab ipsa temporis creatione, creavit.

Digitized by Google

vit. Erat igitur in Verbo, ut in persona consubstantiali; & Verbum erat in eo, ut persona consubstantialis, omnia cum Patre sustentans: quo quidem nihil significantius requiri potest ad Verbi æternitatem & æqualitatem cum Patre; ideoque Deum ante mundi creationem solum fuisse negat, quia secum habebat Verbum suum. Nec porro Verbum instrumenti vices sustinuisse docet, sed ut caussam principem & Deum initio carentem creasse, solumque cum Patre omnium opificem. Verbi æternitatem, æqualitatem cum Patre, & unitatem substantiæ egregie & ipse demonstrat exemplo facis ex alia accensæ, quibusque *ibidem* præmittit, Verbum *κατὰ μερισμὸν ȣ̓ κατὰ ἀποκοπὴν*, *per communicationem non per abscissionem*, prodiisse, quia τὸ ἀποτμηθὲν τȣ̃ πρώτȣ κεχώρισαι· τὸ δὲ μερισθὲν οἰκονομίας τὴν αἵρεσιν προσλαβὸν, ȣ̓κ ἐνδεᾶ τὸν ὅθεν εἴληπται πεποίηκεν, *quod abscissum est, a primo separatum est: quod autem per communicationem progreditur, voluntariam administrationem suscipiens, id eum non imminuit, ex quo desumptum est*. Cæterum divinum Verbum, quatenus quidem omnia cum Patre sustentat, λογικὴν δύναμιν vocat, quatenus autem mundum, Deo loquente, creavit, Λόγον appellat; sicque inter Λόγον & Λόγȣ δύναμιν, *Verbum* & *Verbi potentiam*, idem discriminis ponit, quod a ceteris scriptoribus *Verbum* inter & *Ratio-*

Rationem positum est. Ipsum præterea Verbum idcirco Dei opus appellat, quod ὀ κατὰ κενῦ, *frustra non* sit progressum. Vult igitur significare, Deum omnia creasse non per sonum pereuntem, aut per vocem aëra percutientem; sed per Filium omnibus paternis ideis & attributis instructum, ita ut inter illius progressionem & mundi creationem necessaria fuerit connexio, ac, Verbo prodeunte, statim effectus consecutus sit. Denique Spiritus Sancti divinitatem, omnipotentiam, & consubstantialitatem cum Patre Filioque manifeste pronuntiat *cap*. 7. *pag*. 249. 13. *pag*. 255. & 15. *pag*. 256. adeo ut *cap*. 4. *pag*. 247. *b*. τέλειον Θεοὺ *perfectum Deum*, palam nominet.

VIII: Athenagoras *in Apologia ad M. Aurelium Antoninum*, *&* *L. Aurelium Commodum* pro Christianis, unitatem substantiæ & æqualitatem Verbi cum Deo Patre prædicat *cap*. 10. *pag*. 286. & 18. *pag*. 293. *e*. *Ed. Justini Paris.* quibus in locis statuit, unam omnino esse in Patre Filioque divinam substantiam æque æternam; ac Patrem & Filium unum esse Spiritus, sive divinæ substantiæ, unitate & virtute; atque ob hanc unitatem & virtutem Spiritus utrumque ita unum esse, ut Pater in Filio sit, & Filius in Patre. Atqui sugillatur & carpitur, quasi λόγον, sive rationem ipsam, qua Pater ipse est λογικὸς, *rationalis*, Filium Dei esse ita arbitratus sit, quemadmodum nonnulli

sapien-

sapientiam ipsam', qua sapiens est Deus aut Pater, eamdem esse Filium existimarunt: adeo ut hunc insitum Patri, & apud eum ex æterno manentem Λόγον prodiisse dicat aliquando, ut confusas illas & tumultuarias res perpoliret ac digereret. Hunc tandem Verbi progressum & προέλευσιν ita eum credidisse ajunt, ut illa ipsa processione distincta primum ὑπόςασις extiterit, cum antea in Patris essentia contineretur; neque coæternus Patri Λόγος fuerit. Verum Athenagoras, Patrem ἀϊδίως λογικὸν ὄντα, *utpote ab æterno rationalem*, semper in se Verbum suum habuisse distinctum credidit, non quo Filius sit ipsa formalis ratio, qua Pater rationalis est; sed quia æternæ lucis splendor æternus sit necesse est. Nullam præterea mutationem Verbo attulisse mundi creationem, neque personam Patri consubstantialem tum esse cœpisse, cum ad mundi creationem prodiit; verum idcirco prodiisse, quia persona erat Patri consubstantialis. Diserte insuper declarat, Filium minime creatum esse, nec aliam ei cum rebus creatis intercedere similitudinem præter eam, quæ inter ideas & exemplar mundi ac mundum ipsum, inter creatorem & res ab eo creatas, intercedit. Denique Patris Filiique ὁμοούσιον, & celeberrimam illam eorum περιχώρησιν egregie probat hisce verbis *pag*. 37-38. *ed*. *Oxon*. quibus Deum illum ἀγέννητον, καὶ ἀΐδιον, καὶ ἀόρατον, καὶ

ἀπα-

ἀπαθῆ, καὶ ἀκατάληπτον, καὶ ἀχώρητον, *ingenitum, æternum, invisibilem, impassibilem, qui neque tangi, neque includi loco potest*, Filium habere asserit, πρὸς αὐτῦ καὶ δὶ αὐτῦ πάντα ἐγένετο, ἑνὸς ὄντος τῦ πατρὸς καὶ τῦ ὑῦ. ὄντος δὲ τῦ ὑῦ ἐν πατρὶ, καὶ πατρὸς ἐν ὑῷ ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος, *a quo & per quem facta sunt omnia, quum Pater & Filius unum sint: ita ut Filius in Patre, & Pater in Filio sit unione & potentia Spiritus.* Porro Spiritum sanctum in Patre & Filio, & Patrem Filiumque in Spiritu Sancto esse docet *capite duodecimo pag.* 289. *a.* & *vigesimo quarto pag.* 302. *b. laud. edit. Paris.* ubi etiam ipsarum trium personarum & in unitate substantiæ numerica potestatem, & in ordine distinctionem accurate exponit.

IX. Theophilus Antiochenus episcopus, Triadem nominatim appellans *lib.* 2. *ad Autolycum cap.* 23. *ed. Hamburg.* visus est aliquibus, præcipue Petavio, duas tantum subsistentes personas admittere, Filio cum sancto Spiritu confuso: Αἱ τρεῖς ἡμέραι, inquit, πρὸ τῶν φωςήρων γεγονῦιαι, τύποι εἰσὶ τῆς Τριάδος, τῦ Θεῦ, τῦ Λόγυ αὐτῦ, καὶ τῆς Σοφίας αὐτῦ. *Tres dies, qui duorum luminarium creationem præcessere, Trinitatis mysterium sacrosanctum repræsentant, videlicet Deum, ejus Verbum, ejusque Sapientiam.* Sed quis dubitarit, quin Sapientiæ nomine Theophilus Spiritum Sanctum si-

gnificet? neque propterea vituperandus, quum alii complures scriptores sic Spiritum eundem appellarint, puta Irenæus *lib.* 3. *cap.* 24. *pag.* 223. *ed.Venet.* & 4. *cap.*20. *pag.*253. & Origenes *contra Celsum lib.* 6. *pag.* 639. *tom.* 1. *ed. Paris.* Trinitatem nihil aliud esse, quam unum in tribus personis Deum, unam substantiam, præclare docet, quum *Apolog. secundæ cap.* 14. *pag.* 122. observet, idcirco omnia per Verbum & Sapientiam a Deo creata dici, ne locus daretur plurium deorum fingendorum. Atqui reprehenditur a nonnullis, quod Filium Dei Λόγον ἐνδιάθετον, *Verbum intimum*, Deique in visceribus inclusum fuisse dicat *ibidem pag.* 119. *& seq.* antequam gigneretur: adeo ut ab initio non Filius, sed idem ac Pater fuerit; nimirum ipsa mens ejus sapientiaque, quam tum demum protulerit profuderitque quodammodo, quum rerum procreandarum consilium cœpit. Verum hoc de Theophilo judicium a vero prorsus abhorret. Verbum enim ab æterno distinctum a Patre credidit, quamvis etiam ante mundi creationem Patris mentem sapientiamque fuisse existimet, quod probe colligitur ex hisce illius verbis *ibid.* Οὐ γαρ ἦσαν οἱ προφῆται, ὅτε ὁ κόσμος ἐγίνετο, ἀλλ' ἡ σοφία, ἡ ἐν αὐτῷ οὖσα, ἡ τοῦ θεοῦ, καὶ ὁ λόγος ὁ ἅγιος αὐτοῦ, ὁ ἀεὶ συμπαρὼν αὐτῷ. *Non enim erant prophetæ, cum mundus conditus fuit; sed tantum sapientia Dei, quæ in ipso est, & Verbum sanctum*

ctum ejus, quod cum eo semper est. Ergo illa apud ipsum Filii & Spiritus Sancti ad mundi creationem generatio, progressio est & administratio, non productio; nec ideo adfuerunt, cum Mundus creatus est, quia tunc primum (*) creati sunt. Si enim Deus Verbo suo carere non potest: si Verbum, vel postquam ex Patre prodiit ad mundi creationem, semper cum Patre manet, ut profitetur; semper etiam cum Patre fuerit necesse est. Cæterum totam doctrinam suam de coæterno, genito, ac prolato Verbo, initio Joannis contineri declarat. His enim Evangelistæ verbis: Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*; demonstrari ait *cap.* 31. *pag.* 175. ὅτι ἐν πρώτοις μόνος ἦν ὁ θεὸς, καὶ ἐν αὐτῷ ὁ Λόγος, *in principio solum fuisse Deum, & in eo Verbum*. Generationem autem contineri putat his, quæ sequuntur: Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Explicans *eodem libro secundo ad Autolyc. cap.* 31. *pag.* 172. quomodo Deus, qui loco comprehendi nequit, ambulasse in Paradiso dicatur, docet, non Patrem illum universorum, cujus requiei non est locus; sed Verbum Dei, cum sit ejus virtus & sapientia, suscepta Patris persona, in

c 2 Para-

(*) Vide quæ ad eum Theophili locum La Quien aliique annotarunt.

Paradisum venisse, & cum Adamo collocutum esse. Ipsum enim, quo antequam quidquam fieret, consiliario utebatur, quum mundum creare voluit, prolatitium genuisse. Quamobrem ad Platonicum dogma accommodate loqui aliquibus visus est, & præter ἐνδιάθετον illum Λόγον primogenitum, ipsam Patris mentem essentiamque; alterum, eumque unicum pariter λόγον προφορικὸν, *prolatitium*, a Patre genitum sensisse, suorum operum administrum, quem neque coæternum, neque homoüsion; sed minorem putarit, subijcientem sese, quando ita Pater velit, sensibus; sicque Verbum, quod in principio apud Deum fuisse prædicat Joannes, esse ἐνδιάθετον illud: per quod autem omnia facta sunt, alterum προφορικὸν, & administrum Patris. Verum non parum iniquum videtur vel hoc alterum judicium. Verbum enim, quod erat semper cum Patre, ejusque mens & consiliarius erat, ita ad mundi creationem genitum sensit, ut a Patre minime separatum sit; sed cum eo semper versetur. Ergo nullum duplicis Verbi vestigium. Nam idem Verbum, quod semper existebat, & in corde Patris insitum erat, illud Adamum allocutum esse: idem, quod antequam quidquam fieret, mens erat & prudentia & consiliarius Patris, illud ad mundi creationem genitum fuisse, ait. Ergo a duplici Arianorum Verbo longe abhorret Theophili locutio; imo diserte enuntiat, Verbum, antequam ad mundi

di creationem prodiret, veram personam ac verum filium fuisse; nec cum ipsum ait ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ τȣ̃ θεȣ̃, *insitum in corde Dei*, ἐνδιάθετον ἐν τοῖς σπλάγχνοις τȣ̃ πατρὸς, *inclusum in visceribus patris*, de ratione illa, qua Deus rationalis, intelligit: siquidem ipsum illud Verbum, etiam post mundi creationem, tum cum Adamum alloquebatur, semper in corde visceribusque Patris insitum credidit.

X. Irenæus, ille, inquam, ὁ ἐγγὺς τῶν Ἀποςόλων γενόμενος, *qui proximus Apostolis fuit*, ut ait Basilius *cap.* 29. *de Spiritu Sancto*, *pag.* 61. *b.* & cujus pæne singula capita aliquid continent ad Arianam & Sabellianam perfidiam oppugnandam: nihil aliud in suis libris intendit, nisi ut Christum Dei Filium esse, mundum ab eo creatum, & vetus testamentum institutum, demonstret. Quibus egregie probatis, catholica Trinitatis professio consequens est. Verbi igitur æternitatem mirifice probat *lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 9. *pag.* 132. *ed. Venet.* & *cap.* 30. *n.* 9. *pag.* 163. *lib.* 3. *cap.* 16. *pag.* 204. & *cap.* 17. *pag.* 208. (ubi etiam de Sancto Spiritu testimonium perhibet, eumque duabus aliis personis adjungit exæquatque. Theodoretus præterea *Dial.* 1. *pag.* 34-35. *tom.* 4. *ed. Paris.* nonnulla Irenæi verba ad personas tres illustrandas affert; ac magnus Basilius *laud. cap.* 29. *de S. S.* Irenæi locum citat, qui ad Spiritus Sancti divinitatem adstruendam confert) & *lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 1.

pag. 243. ubi aperte pronuntiat, nullum ei initium assignari posse : semper coexistere Patri, ejusque æternitatem cum Patris æternitate necessario conjungi : non semper Deum glorificatum esse a rebus creatis ; immo exteriori illa gloria, quam ab eis accipit, carere omnino potuisse ; sed ea glorificatione, quam a Filio accipit, quamque ipse etiam dat Filio, nunquam caruisse, nec carere potuisse. Personarum divinarum æqualitatem confirmat *lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 3. *pag.* 130. & *cap.* 17. *n.* 7. *pag.* 139. ubi vel unitatem substantiæ numericam innuit. Quod etiam patet significanter tum ex *lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 2. *pag.* 180. tum ex *lib.* 4. *cap.* 20. *n.* 1. *pag.* 253. & *cap.* 7. *n.* 4. *pag.* 236. ubi cum per Filium & Spiritum Sanctum mundum creasse Deum dicat, necesse omnino est, ut ei æquales sint, nec ab ejus substantia separati. Quare hac ὑπεργία, quæ Petavio aliisque displicuit, nihil præclarius, nihil ad unitatem substantiæ numericam significantius esse posse videtur : alioquin indignum Deo esset, re externa & ab se separata ad creandum uti.

XI. Clemens Alexandrinus, sancti Panthæni, ex Stoïco Philosopho Christiani, discipulus & Origenis præceptor : Vir omnibus litteris apprime excultus, & inter primos Ecclesiæ Doctores eximius, qui cadente secundo floruit seculo, Patrem μόνον εἶναι τέλειον τῶν ὅλων, *solum præ cunctis perfectum esse* cum dicat *Pædag.*

dag.

dag. 1. *cap.* 7. *ed. Venet. ab initio*, etiam Filii perfectionem probat, adjiciens: ἐν αὐτῷ γὰρ ὁ υἱὸς, καὶ ἐν τῷ υἱῷ ὁ πατὴρ. *in ipso enim est Filius, & in Filio Pater*: quoniam quicquid est Patris, etiam Filii ita sit necesse est: quem Λόγον αἰώνιον, τῷ ὄντι μονογενῆ, τὸν τῆς τοῦ παμβασιλέως καὶ παντοκράτορος πατρὸς δόξης χαρακτῆρα, *Verbum æternum, revera unigenitum, regum regis & omnipotentis Patris gloriæ figuram*, appellat *Strom.* 7. *pag.* 837. Numericam essentiæ unitatem in Sanctissima Trinitate, quod totius mysterii fundamentum est, significanter probat *in Protrept. pag.* 72. *lin.* 23. & *pag.* 90. *lin.* 26. ubi perverse locus acceptus est. *Lib.* 4. *Strom. pag.* 635. *lin.* 9-13. non essentia minorem Patre Filium docet, ut quidam dictitant, quum Patrem quidem sub demonstrationem scientiamque non cadere: Filium vero, sapientiam, scientiam, veritatem, & ejusmodi alia, demonstrationem atque enarrationem habere, pronuntiet. Discrimen enim Patris & Filii non repetit ex majore minoreve substantia, siquidem eandem utriusque essentiam fatetur; atque ipsum etiam enarrari non posse ait, si hæc essentia consideretur: verum ex eo, quod substantiam divinam Pater a nemine acceptam Filio dederit, ac per eum, ut per sapientiam & veritatem suam, cognoscatur. Porro *lib.* 7. *pag.* 831. *lin.* 16-19. his verbis, quæ multis displicuerunt: Τελειοτάτη δὲ, καὶ ἁγιωτάτη

τάτη, καὶ κυριωτάτη, καὶ ἡγεμονικωτάτη, καὶ βασιλικωτάτη, καὶ εὐεργετικωτάτη ἡ υἱοῦ φύσις, ἡ τῷ μόνῳ παντοκράτορι προσεχεστάτη. *Perfectissima autem, & sanctissima, maximeque & principalis & imperans & regia, longeque beneficentissima est Filii natura, quæ soli omnipotenti propinquissima est*: non duas ab se invicem disjunctas & dissociatas naturas admittit, absit; quum, præter alia loca, iis quæ subjicit, divinam Filio naturam, eandemque prorsus ac Patri, tribuat: sed aut φύσεως nomine ὑπόστασιν, *personam*, intelligit, ut alii bene multi; aut naturam in Filio subsistentem designat, quæ unica licet & singularis in tribus personis sit; eadem tamen alias in Patre, alias in Filio, alias in Spiritu Sancto proprietates habet.

XII. Tertullianus inter scriptores Christianos admodum clarus, qui sub Severo Imperatore ejusque filio Antonino Caracalla maxime floruit, & ad annum æræ nostræ circiter 215. vitam perduxit, Christum verum Dei Filium Deumque coæternum Patri passim docet adversus Marcionem, & adversus Praxeam: quibus in locis Scripturæ testimonia, queis Christus Dei filius dicitur, non metaphorice, ut istis placebat; sed stricte accipienda esse demonstrat. Christi igitur æternitatem præclarissime docet & *in lib. de Virginibus velandis cap.* 1. nec non *contra Praxeam cap.* 27. ubi

ita

ita etiam immutabilem illi divinitatem tribuit, ut ei nulla viciſſitudo poſſit intervenire, nihil poſſit accedere, nihil decedere. Porro *in lib. adverſus Hermogenem cap.* 1. ſic ipſam Chriſti æternitatem comprobat, ut aliquid ei coæternum fingi inſtar ſummi ſceleris exiſtimet. Quî ergo in rebus creatis eum potuit numerare? Marcionitæ Patrem nihil agentem, nihil molientem contendebant: creationem autem alteri Deo, a veri Dei ſubſtantia alieno, tribuebant. Simili propemodum inſania laboraſſe Tertullianum inimici ejus probare conantur; ſed fruſtra, meo quidem judicio. Si enim Filium, cui creationem & legis inſtitutionem tanto conatu vindicat, a Patris ſubſtantia ſeparatum induceret, quid diſcriminis eſſet inter illius ſententiam & errorem, quem refellebat? An non hanc ſubſtantiæ unitatem in Patre & Filio in eodem contra Marcionem opere conceptis verbis declarat *lib.* 2. *cap. ultimo*, & *lib.* 3. *cap.* 6.? ubi aſſerit, *Filium & Spiritum & ſubſtantiam creatoris eſſe Chriſtum ejus*; *atque eos, qui Patrem non agnoverint, nec Filium per ejuſdem ſubſtantiæ conditionem agnoſcere potuiſſe*. & *lib.* 4. *cap.* 25. ubi minorem non eſſe Patre Filium aperte teſtatur. *Lib. de Pudicitia cap.* 21. aſſerendo, *Trinitatem unius divinitatis eſſe, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum*. & *Apolog. cap.* 21. hiſce verbis „ *Hunc ex Deo prolatum dici-*

dicimus, *& prolatione generatum*, *& idcirco Filium Dei*, *& Deum dictum ex unitate substantiæ* „. Præterea *lib. contra Praxeam cap.* 2. *Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unius substantiæ*, *unius status*, *& unius potestatis esse* docet. Ergo non ex consensu trium voluntatum eam unitatem repetebat, ut quidam dictitant; sed numericam existimabat. *Capite* autem *quarto* ejusdem libri, Filium non aliunde deducere se ait, nisi de substantia Patris. Tandem *cap.* 8. 12. & 25. ita distinctum ac generatum a Patre contendit, ut ab eo separatum esse neget. Quæ omnia satis persuadent, Tertullianum eandem numero in tribus substantiam, perfectamque divinitatem posuisse.

Attamen in multas reprehensiones incurrit, eo quod Filium a Patre modulo distinguat, & paternæ substantiæ portionem vocet, ut est a sole radius, *in Prax. cap.* 9. & 14. necnon *Apolog. cap.* 21. unde præ ceteris concludit Petavius, totam substantiam in Patre, & portionem in Filio non sic a Tertulliano intelligi, quomodo a Theologis nostris cum ajunt, Patrem plenitudinem divinitatis in primo originis signo possidere; sed ita plane, ut longe minor sit Filius: & sicut radius a sole ipsoque luminis fonte derivatus, eodem lumine constat substantiaque; ideoque ὁμοούσιος dici potest, licet multo minor inferiorque, & aspectui nostro tolerabilis; quum ad solis intuitum ocu-

oculorum nostrorum acies hebetetur: ita Deum Patrem tamquam immensum & incircumscriptum lumen, adeoque majus, quam ut cerni possit, contemplatus sit; Filium autem sic, quasi portionem quamdam lucis ejus, quam proinde nostrorum imbecillitas oculorum posset sustinere. At non ita quidem se res habet, quoniam plenitudo & portio apud Tertullianum nihil aliud significant, nisi gradum illum, quo divina natura a Patre in Filium derivatur. Vox enim *portio* non idem est ac *pars*; sed idem ac *communicatio*, *participatio*, seu *derivatio* vel *generatio* ex toto Patre, ut ipsemet non obscure declarat *in Prax. cap. 9.* Neque porro duæ substantiæ a se invicem separatæ concludi possunt ex eo, quod *laudato Apologetici loco* Filium a Patre generari doceat, quemadmodum lux alia de luce accenditur; nec major minorve substantia ex eo, quod Patrem soli, Filium radio comparet: siquidem in primo exemplo hoc tantum intendit, nihil de paterna substantia minutum, cum Filius generatus est; quemadmodum nihil de luce aliam accendente minuitur: in secundo autem Filium a Patre distinctum esse, nec tamen separatum. In altero igitur exemplo Filium negat a Patre separatum, in altero totam ei substantiam a Patre communicatam asseverat. Quod Filium autem modulo & gradu secundum a Patre dicat, notandum, hanc Patris Filiique distinctionem

nem in statum non cadere, ut diserte ipse probat *in Praxeam cap.* 2. sed personalibus omnino proprietatibus contineri.

Carpitur non parum, quod duplicem Filio generationem, alteram videlicet, quum mundus creandus erat, tribuat *lib. contra Praxeam cap.* 5. At si attendatur, quosnam hæreticos refellat, quid contra eos nitatur, facile patebit, hoc unum ei propositum esse, ut Verbum ab æterno cum Patre, ut personam distinctam, extitisse, & ab eodem ad mundi creationem, ut personam distinctam, emissum fuisse demonstret, nedum illius æternitatem evertat. Quod *ibidem* inquit, Deum ante omnia solum non fuisse, & rationem cum eo, & in eo, & ab eo fuisse, manifestam habet hujus rationis Deique distinctionem; & *adversus Praxeam*, qui *Λόγον*, sive *Rationem*, ab ipso Deo non distinguebat, ac nihil aliud, quam Deum ipsum, esse contendebat, apposite dictum esse. Ergo male quidam opinati sunt, Tertullianum in illum ipsum, quem refellebat, errorem incidisse, ut Rationem illam, perinde ac Praxeas, per se ante mundi creationem substinuisse non crederet. Nec aliquid obstat, aut quidpiam de Filio detrahit, cum rationem a sermone distinguat. Huic enim rationi, cum sermo facta est, sive cum Deus eam ad mundi creationem emisit, non majorem accidisse mutationem docet, quam ipsi Deo, qui ex rationali sermo-

nalis

nalis factus est. Ergo substantialiter nullam inter utrumque distinctionem admittit, sed unum prorsus idemque esse censet: quippe quod, etsi nondum sermonem suum miserat, eum tamen cum ipsa & in ipsa ratione intra semetipsum habebat. Ergo duplex illa generatio nihil addit detrahitve divino Verbo. Porro quum dicat *cap. 7. ejusdem advers. Praxeam libri*, Verbum, dum prodidit ad mundi creationem, Filium factum fuisse; non propterea negat, Filium fuisse antequam prodiret. Ruerent enim omnia illius principia, si, cum Deum solum non fuisse ante mundi creationem, sed secum sophiam suam habuisse contendat, ut *cap. 8.* hanc sophiam, ex ejus substantia genitam, ejusque Filium semper fuisse non credidisset. Tandem etsi, inquiens *libro adversus Hermogenem cap. 3.* Deum, ut nec semper Patrem & Judicem, ita nec semper Dominum fuisse, Deum negare videatur ante mundi creationem Patrem fuisse; ex ipso tamen loci contextu reque, de qua & quicum agit, plane liquet, illam Patris appellationem, quæ judicis tutulo opponitur, Filii consubstantialis generationem minime attingere; sed vero omneis generatim res creatas ratione utentes, ut secundo loco existimavit Bellarminus *Controv. tom. 1. de Christo lib. 1. cap. 10.* Secus quæ necessitudo consubstatialis Filii generationi cum pœnis delicto irrogatis? Sed quum agatur de divina in res

crea-

creatas providentia, ut Dei bonitas cum ejusdem justitia, ita Patris titulus cum judicis appellatione merito conjungitur. Benefacit Deus ut Pater, punit ut judex. Non incommode igitur hoc sensu nec Pater ante Filium, nec judex ante delictum fuisse dicitur; ac fuit profecto aliquod tempus, cum, ex antea declaratis, nec Filius esset, nec benefaceret Deus, nec delictum quod puniret, pluralitate per singularitatem eleganter expressâ.

XIII. Origenes, qui qua ætate floruit Tertullianus, florere & ipse cœpit, ultraque Decij tempora pertigit, mortuus circa annum 255. præter complura loca, in quibus Jesum Christum Dei Filium palam ac citra ambages appellat, multaque veteris Testamenti testimonia, divinam naturam manifeste significantia, quæ ab ipso ad Christum referuntur; sæpe ipsum non simpliciter & metaphorice, ut Ariani, quorum hæresis nomine tam vehementer accusatur; sed *κυρίως ὑιὸν τοῦ Θεοῦ*, *proprie Dei Filium*, vocat, veluti *lib.* 1. *contra Celsum pag.* 381. *e. ed. Par.* 1759. *ὅπερ ἦν ὁ κυρίως ὑιὸς θεοῦ, θεὸς λόγος, θεοῦ δύναμις, καὶ θεοῦ σοφία, ὁ καλούμενος Χριστὸς*. *Proprie Dei Filius, Deus Verbum, Dei potentia, & Dei sapientia est qui vocatur Christus*. *Tom.* 11. *in Matth. pag.* 503. *e.* & 504. *a.* nec non *tom.* 12. *pag.* 514. *b.* & *tom.* 6. *in Joan. pag.* 118. *a.* Æqualitatem Filii cum Patre, & substantiæ in utroque singula-

gularitatem adstruit *Homil. 8. in Jerem. n. 2. pag. 171. c.* ubi, quum omnia Patris attributa in Filio esse conceptis verbis declaret, nihil sane ad numericam essentiæ unitatem æqualitatemque eo significantius loqui potest. Adde *tom. 20. in Joan. pag. 359. d. lib. 8. contra Celsum n. 12. pag. 750. & 13. pag. 751. e.* Christum germanissimum Patris Verbum, hocque ipsissimam Patris sapientiam (quo sane nil magis invisum ac detestatum Arianis fuit, quibus proterve eum accensere complures non sunt veriti.) toties prædicat Origenes, ut *lib. 3. contra Celsum pag. 474. a & tom. 14. in Matth. pag. 617. c. & 622. d.* Neque vero Deum sapientem ea, quam genuit, sapientia esse existimavit; sed natura & ordine prius sapientem & rationalem esse, quam sapientiam & rationem genuerit. Immo quia certo tenebat, Patrem esse in Filio, & Filium in Patre, ac paternas omnes ideas Filio traditas; non immerito statuit, Filium esse ipsissimum Patris Verbum, ad cujus præscriptum Pater omnia gubernat: ipsissimam sapientiam, in qua omnia ante mundi creationem descripsit. De Verbi æternitate præclarissimum testimonium perhibet *lib. 1. de Principiis, cap. 2. pag. 54. a.* quod per Marcellum Ancyranum apud Eusebium occurrit *lib. 1. contra eundem cap. 4. pag. 22.* Et *lib. 4. pag. 189. e.* quod Athanasius refert *libro de Decretis Nicænæ Synodi pag. 233.*

b. tom.

b. tom. 1. *part.* 1. *ed. Par.* ubi aliud quoque haud minus eximium affert ejusmodi : Ἀλλ' οὐ θέμις ἐστὶν, οὐδὲ ἀκίνδυνον διὰ τὴν ἀσθένειαν ἡμῶν τὸ, ὅσον ἐφ' ἡμῖν, ἀποστερεῖσθαι τὸν θεὸν τοῦ ἀεὶ συνόντος αὐτῷ Λόγου μονογενοῦς, σοφίας ὄντος, ᾗ προσέχαιρεν· Οὕτω γὰρ οὐδὲ ἀεὶ χαίρων νοηθήσεται. *Verum nefas est, nec periculo caret propter nostram infirmitatem, Deum, quantum in nobis est, privare Verbo suo unigenito semper secum coexistente, quod est sapientia, qua delectabatur.* Propterea *homil.* 9. *in Jerem. n.* 4. *pag.* 181. *e. tom.* 3. salvatorem Jesum Christum, quatenus est splendor paternæ gloriæ, tamdiu generari ait, quamdiu lux illa splendoris efficiens existit. Cum igitur certo sciat, Filium esse splendorem & sapientiam Patris, non dubitat ejus æternitatem ex Patris æternitate spectare. Ergo si Filium æternum non credidit, ne ipsi quidem Patri æternitatem reliquisse dicendus est. *Homil.* 6. *in Exodum pag.* 148. *e. f. tom.* 2. perfectam trium personarum unionem, æqualitatem, potentiam, efficientiam, æternitatem, & id genus probat ad hunc modum : *Nullus in diis similis Domino; nullus enim invisibilis, nullus incorporeus, nullus immutabilis, nullus sine initio & sine fine, nullus creator omnium, nisi Pater cum Filio & Spiritu Sancto.* Unam igitur numero substantiam in tribus personis admittit, tres autem hypostases requirit, ea distin-

ctione

ctione adhibita, quæ sola cogitatione ac solis nominibus continetur. Duo extrema æque fugienda & vituperanda censet, sive quis Deum Christum confessus, ejus proprietatem a Patris propriet ate non distinguat, ac solo nomine Filium appellet; sive proprietatem essentiamque per se subsistentem Filio tribuens, ejus divinitatem inficietur; sicque Deum Filium fatetur quidem, sed Deum de Deo, sed verum Filium esse contendit: essentiam divinam ei vindicat, sed quæ aliam in eo atque in Patre proprietatem personalem habeat. *Tom.* 13. *in Matth. n.* 19. *pag.* 596-97. ut Patrem a Filio, ita Filium a Spiritu inseparabilem pronuntiat: adeo ut Spiritus eodem modo sit unum cum Filio, quo ipse Filius cum Patre. Adde *tom.* 14. *n.* 6. *pag.* 622. *b. c.* ubi totam Filii scientiam in Spiritu Sancto esse docet: cujus æqualitatem cum Patre & Filio credidisse inde colligitur, quod unam vitam, unum imperium assignet Patri & Filio & Spiritui Sancto, eosque ἀρχικὴν Τριάδα, *imperatricem Trinitatem*, appellet *tom.* 15. *in Matth. n.* 31. *pag.* 698. *b.* Unam porro lucidam nubem esse docet *tom.* 12. *in eundem Evang. n.* 42. *pag.* 564-65. quæ ἐπισκιάζει τοὺς γνησίους Ἰησοῦ μαθητάς, *veros Jesu discipulos obumbrat*. Ejusdem denique Spiritus Sancti divinitatem sensisse innuit *prooem. in libros de Principiis pag.* 48. *b.* ubi docet, *honore ac dignitate Patri & Filio sociatum esse Spiri-*

tum Sanctum. Videtur ergo, nunquam dubitasse, quin Spiritus Sanctus una sit ex tribus divinis personis Patri Filioque æqualis.

Cæterum de Origene nota sunt, quæ circa illius de sanctissimæ Trinitatis mysterio sententiam Epiphanius *Hær*. 64. *cap*. 4. *&* 7. Hieronymus, præsertim *epistola ad Avitum sect*. 2. *pag*. 911. *tom*. 1. *ed*. *Veron*. aliique testati sunt. Epiphanius quidem eum accusat, quod Christum γεννητὸν Θεὸν, *genitum Deum*, & κτιστὸν, *creatum*, & κατὰ χάριν υἱὸν, *gratia Filium*, existimet: Hieronymus autem, quod Filium non natum, sed factum pronuntiet. Illud quidem γεννητὸν & κτιστὸν quod attinet, ut brevissime evincam, non eam prorsus fuisse Origenis mentem, quam Epiphanius, Hieronymus, aliique simul conantur asserere; unum modo Origenis locum objiciam, in quo planissime Filius ἀγένητος prædicatur. *Lib*. 6. *contra Celsum pag*. 643. *c*. *tom*. 1. postquam retulit illa Christi verba *apud Matth*. *cap*. 2. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem, nisi Filius, & cui Filius revelaverit*: Οὔτε γὰρ, subjungit, τὸν ἀγένητον καὶ πάσης γενητῆς φύσεως πρωτότοκον κατ' ἀξίαν εἰδέναι τίς δύναται, ὡς ὁ γεννήσας αὐτὸν πατὴρ, οὔτε τὸν πατέρα, ὡς ὁ ἔμψυχος Λόγος, καὶ σοφία αὐτοῦ, καὶ ἀλήθεια. *Neque enim increatum omnisque creatæ naturæ primogenitum digne quis potest cognoscere, ut Pater, qui eum genuit*;

nuit; *neque Patrem*, *ut animatum Verbum*, *quod sapientia & veritas ejus est*. Quoad vero inquit Epiphanius, Christum ab Origene non natura, sed gratia Filium dici; aperte pronunciamus, commentum id esse ab omnibus Origenis principiis omnino remotissimum.

XIV. Minucius Felix, quum *in Octavio suo cap.* 10. 18. & 20. unum esse Deum enunciet, moxque *cap.* 29. Christum Deum palam appellet, videtur, hunc cum illo unum eundemque Deum credidisse.

XV. De Cypriano nihil aliud dicam, nisi quod passim in libris & epistolis suis Christi divinitatem asseveret. *In libro de Idolorum vanitate pag.* 228. & *de bono patientiæ pag.* 248-49.*ed.Par.* Christum Deum verum esse confitetur. *In lib.* 2. *testimoniorum adversus Judæos cap.* 6-9. uberrime e Scripturis probat, Christum esse Deum; eique Isajæ verba illa *cap.* 14. *Quoniam in te Deus est*, & *non est Deus alius præter te*, aliaque, quæ in antiquo Fœdere soli summo Deo tribuuntur, testimonia diserte tribuit. De unitate substantiæ in sancta Trinitate egregium testimonium perhibet *in lib. de unitate Ecclesiæ pag.* 195-96. ex illis Joan. verbis *Ep.* 1. *cap.* 5. 7. *Et hi tres unum sunt*: ubi concludit ad hunc modum „ *Hanc unitatem qui non tenet*, *Dei legem non tenet*, *non tenet Patris & Filii fidem*, & *veritatem non tenet ad salutem* „. Et *de Orat.*

Domin. pag. 211. „ *De unitate Patris & Filii & Spiritus Sancti plebs adunata* „. Tandem *in epist. ad Jubajanum pag.* 133. sic loquitur „ *Cum tres unum sint, quomodo Spiritus Sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris aut Filii inimicus est* „.

XVI. Novatianus, Romanæ urbis presbyter, Christi divinitatem ita egregie defendit in libro de Regula Fidei, sive de Trinitate, ut nullum fere de ea argumentum afferri possit, quod ab ipso prætermissum sit; immo Filium Dei & personam a Patre distinctam esse, & eandem cum eo divinitatem habere, docet; posteaque de Spiritu Sancto (quem etiamsi Deum nominatim non appellet, de illius tamen *divina æternitate* non silet, & Deum esse multis argumentis probat *cap.* 24. 29. 30.) sic disserit *cap.* 29. *pag.* 217-18. *ed. Lond.* „ *Sed enim ordo rationis & Fidei auctoritas digestis vocibus & litteris Domini admonet nos, post hæc credere etiam in Spiritum Sanctum* „. unde absolutum Trinitatis dogma in eo elucet. Christum præterea Deum esse demonstrat tum ex ejus miraculis, quæ illo adveniente editum iri prophetæ prædixerunt, aliisque veteris Testamenti testimoniis *cap.* 12. *pag.* 85. *& seq.* tum ex Apostolorum Joannis & Pauli verbis, quorum alter Verbum carnem esse factum, uterque omnia per eum facta esse testatur, *cap.* 13. *pag.* 93. *& seq.*

Uni-

Unitatem substantiæ numericam in sanctissima Trinitate agnoscit, quum doceat *cap.* 4. *pag.* 36. immensam illam Dei naturam plus una non esse, nec duo infinita esse posse. Æternitatem Filii & æqualitatem cum Patre egregie demonstrat *cap.* 14. *pag.* 102. & 28. *pag.* 213. atque ipsum increatum esse, nec factum ex eo concludit *cap.* 15. *pag.* 110-11. quod ex Patre prodierit juxta ipsius Christi verba apud Joannem *cap.* 16. *vers.* 27. *Ego ex Deo prodii & veni*; quum constet, hominem *a Deo* factum esse, non *ex Deo* processisse. Patris & Filii unam esse substantiam probat egregie *cap.* 31. *pag.* 236. unde Dei singularitatem repetit; quin in illa substantiæ unitate demonstranda æternam Filii generationem, & temporariam ad mundum creandum processionem considerat eadem plane sententia, ac plerique scriptores Antenicæni dixerunt: Filium enim ante omne tempus fuisse in Patre & ex Patre ait; ita ut Pater ob hanc tantum caussam prior quodammodo sit, quia originem nescit: Filius minor, quia originem habet. Sic igitur æterna generatione stabilita, facile intelligitur, Filium ad mundi creationem processisse, quando voluit Pater; nec processisse in sono percussi aëris, sed ut personam divinam, quæ idcirco processit ex Patre, quia semper in Patre & ex Patre fuit. Cum Patrem unum esse Deum asserat laudato capite trigesimo primo, non

lædit catholicam doctrinam, ut quibusdam visum est; sed potius confirmat: ideo enim Patrem unum esse Deum asserit, quia Filius ab eo divinitatem accepit: idcirco Filium Patre minorem dicit, idcirco Patri obsequentem facit, quia Pater fons est & origo divinitatis. Filio igitur omnia Patri accepta referente, nec duabus substantiis, nec discordiæ ac dissensioni locus est: quum ei nihil aliud sit propositum, quam ut illud incommodum, ex duobus ingenitis consequens, fugiat. Illa ejus verba *cap.* 7. *Omnis enim spiritus creatura est*, quæ tantam apud aliquos offensionem invenerunt, minime Spiritum Sanctum attingunt. Cum enim doceat *pag.* 49-50. *Deum in veteri Testamento ideo* ignem *dici*, *ut peccatori populo metus incutiatur*, *dum judex ostenditur*; *& in novo Testamento* spiritum *esse proferri*, *ut refector & creator in delictis suis mortuorum*, *per hanc bonitatem conlatæ credentibus indulgentiæ*, *comprobetur*; atque utramque appellationem a rebus materialibus translatam accipiat, manifeste videtur, illis verbis „ *Si acceperis* spiritum *substantiam Dei*, *creaturam feceris Deum* : *omnis enim spiritus creatura est* „ non Spiritum Sanctum, sed spiritum creatum designare.

In duas præcipue criminationes incurrit Novatianus. Primum quod *cap.* 22. *pag.* 176. absurde exponat Apostoli illa verba *ad Philipp.*

cap.

cap. 2. *vers.* 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo*. Fateor quidem, parum recte se gerere eo in loco exponendo, adeo ut putasse videatur, Christum non esse summum Deum, aut divinam potestatem habuisse jure summo & necessitate naturæ; sed Dei Patris donatione accepisse; ideoque in omnibus & omni tempore Patri subjectum fuisse esseque. At non tam absurda profecto est illa expositio, quam prima fronte videtur. Illa enim verba, quæ præcipue displicent „ *Inde denique & ante carnis assumptionem, sed & post assumptionem corporis, post ipsam præterea resurrectionem, omnem Patri in omnibus rebus obedientiam præstitit pariter ac præstat* „ nisi pro *obedientia* consensum, seu concordem actionem, intelligat, ad humiliationem potius, quam ad inferiorem conditionem Filii Dei referenda sunt, qui sponte sua subjecit se voluntati Patris, ut, deposito cœlesti honore, susceptaque in divinitate servi forma, exinaniret se usque ad mortem, & læsæ ab hominibus majestati divinæ satisfaceret. Secundo, quod *cap.* 27. *pag.* 203. verba illa Joan. *cap.* 10. *vers.* 30. *Ego & Pater unum sumus*, Ariano pœne more sic declaret „ Unum *autem quod ait, ad concordiam & eandem sententiam & ad ipsam charitatis societatem pertinet, ut merito unum sit Pater & Filius per concordiam & per amorem &*

per dilectionem „ . Et quidem Athanasius *de Synod. Arim. & Seleuc. pag.* 762. *tom.* 1. *part.* 2. *ed. Par.* illa verba de unitate substantiæ solummodo explicari jubet, & concordiæ unitatem, ut malam interpretationem, condemnat. At non propterea Ariano morbo laborasse existimandus Novatianus; ipse enim minime Ariano more, sed ex consensu veteris Ecclesiæ interpretatus est. Ita Tertullianus *contra Praxeam cap.* 22. & 25. ita Origenes *contra Celsum lib.* 8. *pag.* 750-51. *tom.* 1. *ed. Par.* & *in Joan. pag.* 245-46. *tom.* 4. ita Hippolytus *contra Noët. sect.* 7. *pag.* 238. *tom.* 1. *ed. Hamburg.* ita Alexander Alexandrinus apud Theodoretum *hist. Eccles. lib.* 1. *cap.* 4. ita demum Eusebius *de Eccles. Theolog. lib.* 3. *cap.* 19. Immo catholice prorsus sentire ostendit *cap.* 15. *pag.* 116. ubi iisdem Evangelistæ verbis probat, Christum & Deum Deique Filium esse, & ex substantia Patris ita procedere, ut ambo duæ sint hypostases, essentia una. Sic enim loquitur: *Si homo tantummodo Christus, quid est quod ait, Ego & Pater unum sumus? Quomodo enim Ego & Pater unum sumus, si non & Deus est & Filius? Qui idcirco unum potest dici, dum ex ipso est, & dum Filius ejus est, & dum ex ipso nascitur, dum ex ipso processisse reperitur, per quod & Deus est.*

XVII. Gregorius Neocæsariensis episcopus, Origenis discipulus, ab mirabilium artificio ope-

rum

rum *Thaumaturgus* cognominatus, suspectas nonnunquam de Trinitate sententias protulisse insimulatur, eo quod, teste Basilio *epist.* 210. *pag.* 316. *d.* Filium e. g. κτίσμα, ποίημα, *creaturam*, *opus*, appellarit. Verum ab eodem magno præsule ibidem excusatur, quod non dogmatice talia dixerit, sed vel disputantis altercantisque more; vel ad eum, quicum certabat, gentilem hominem sese temperantem, accuratius expendere ista noluisse. Et sane Filii æqualitatem cum Patre, & arctissimam unionem perbelle exprimit *in Orat. illa præclara ad Origenem panegyrica & charisteria pag.* 53. *d. ed. Par.* Atque *in egregia illa Fidei confessione*, quam, jubente B. Virgine, Joannes eum Evangelista docuit, ut Nyssenus *de ejus vita refert pag* 977-78. ac Neocæsariensis Ecclesia instar sacri depositi habuit, trium in unà eademque essentia personarum distinctionem accurate exprimit. In ea enim tres personas æquales inter se statuit Gregorius: nullam priorem vel posteriorem dici patitur: nullam gloria aut æternitate aut imperio majorem minoremve. Atque hæc Gregorii doctrina hoc principio nititur, perfectum Filium a perfecto Patre genitum, & Spiritum Sanctum ex Deo existentiam habere. Hinc concludit,. totam Patris substantiam Filio nascenti, totam Patris Filiique Spiritui procedenti, traditam fuisse; ac proinde & Patris Filium, & Filii Spiritum, accuratissimam esse imaginem.

 XVIII.

XVIII. Methodius in libro, quem ad virginitatis commendationem composuit, & *Convivium decem virginum* inscripsit, *Orat. prima pag.* 13. *b. ed. Par.* Christi divinitatem & incarnationem mirifice commendat. Filii æternitatem & immutabilitatem præclare expressam & demonstratam putat hisce Patris ad eum verbis: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quæ sic interpretatur *Orat.* 8. *pag.* 107. *c.* Παρατηρητέον γὰρ, ὅτι τὸ μὲν υἱὸν αὐτῦ εἶναι, ἀορίστως ἀπεφήνατο καὶ ἀχρόνως. Εἶ γὰρ, αὐτῷ ἔφη, καὶ ὐ γέγονας· ἐμφαίνων, μήτε πρόσφατον αὐτὸν τετυχηκέναι τῆς υἱοθεσίας, μήτε αὖ προϋπάρξαντα, μετὰ ταῦτα τέλος ἐσχηκέναι. ἀλλὰ προγεννηθέντα, καὶ ἔσεσθαι καὶ εἶναι τὸν αὐτὸν. *Observandum enim est, Filium quidem suum esse indefinite pronuntiasse, & sine ulla temporis determinatione*: Es *enim ait, non autem* factus es: *significans, neque recens ipsi contigisse filiationem, neque quod jam sit, unquam esse desiturum; sed qui ante genitus fuerit, semper esse & fore.* Eadem Oratione *pag.* 111. *a.* naturam divinam edisserit, cum indicet, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unum esse ens, unam essentiam; ac tribus personis congruere, ut τὸ ὄν, *id quod est*, dicantur; atque in hujus entis contemplatione summam hominis felicitatem esse positam. Mox ad proprietates trium personarum transit, & millenarium numerum Patris symbolum esse docet, Filii senarium, duodenarium autem,

ex duobus perfectis numeris constantem, symbolum esse Spiritus Sancti, *καθὸ τῆς γνώσεώς ἐστι τοῦ υἱοῦ τούτο καὶ τοῦ πατρὸς περιεκτικόν*, *quatenus is cognitionem Patris & Filii continet*.

Graviter reprehenditur, quod Patrem & Filium, ambos aliàs unam virtutem & potentiam, duas virtutes effectrices appellet *in libro de Creatis* apud Combefisium *pag*. 344. *c*. quarum altera, nempe Pater, *ἐξ οὐκ οὔτων γυμνῷ τῷ βουλήματι, χωρὶς μελισμοῦ, ἅμα τὸ θελῆσαι αὐτουργοῦσα ὃ βούλεται ποιεῖν*, *ex nihilo, nuda voluntate, nulla mora, simul ac vult, omnia faciat, quæ velit*: altera, eaque Filius, *κατακοσμοῦσα καὶ ποικήλλουσα κατὰ μίμησιν τῆς προτέρας τὰ ἤδη γεγονότα*, *ad prioris imitationem perficiat, distinguat, perpoliat, quod jam factum est*; sicque, cum Patrem sola voluntate per se moliri & creare dicat, Filium autem quæ jam facta sunt, exornare & perpolire; hunc illo inferiorem faciat, excludatque a creatione. Atqui sanctus Martyr non ita Patrem & Filium, Filium & Spiritum Sanctum, duas virtutes appellat, ut duas naturas designet, Filiumque a creatione excludat; sed ut suas cuique personæ proprietates tribuat. Utitur enim via ceterorum Patrum pervulgata; & Filio, cum eum seorsum considerat, eadem ac Patri adscribit: cum autem ad distinctionem Patris & Filii animum convertit, tum vero alia Patri, alia Filio proprie tradit. Neque enim

cum

cum materiam a Patre creatam, a Filio ornatam & expolitam dicit; Patrem ab exornatione, ac Filium a creatione excludit: quum *in eodem libro pag.* 339. materiam a Deo & creatam & expolitam doceat. Christum præterea vim creatricem subinde nominat in Convivio, eique omnium creationem tribuit. Non ergo Filium excludit, nec duas naturas inducit, cum duas virtutes numerat: quoniam Filius non semel ab eo virtus Patris appellatur; atque in hoc ipso, qui objicitur, loco ejus χεὶρ παντοδυνάμος, *manus omnipotens*, vocatur. Tandem Filii æternitatem strenue prædicat, quippe quum Verbi generationem ad mundi creationem doceat, ut plerique alii, eandem cautionem adhibet, nequis de ejus æternitate secus sentiat. Nam Filium semper in Patre & apud Patrem fuisse, & divina quidem potestate præditum, antequam mundus crearetur, docet *eodem de Creatis libro pag.* 345.

De Incarnatione quæ subabsurda protulisse videtur, quum de re nostra non sit, expendere ac vindicare supersedimus.

XIX. Arnobius Christum Deum palam profitetur *lib.* 1. *pag.* 21. 23. 24. *ed. Lugd. Bat.* in cujus clausula *Omnium virtutum Dominum*, *atque ipsius mortis extinctorem* eum vocat. Et *lib.* 2. *pag.* 85. his verbis „ *Et ideo Christus, licet vobis invitis, Deus; Deus, inquam, Christus (hoc enim sæpe dicendum*

est

est, ut infidelium dissiliat & dirumpatur auditus) *Dei principis jussione loquens sub hominis forma*, &c. Imo in totis quatuor illis libris, quos, mirum! antequam Christianus esset, edidit, editisque velut quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetravit, ut loquitur Hieronymus *in Chron.* sanctissimæ Trinitatis aperta omnibusque numeris expleta confessio elucet. Sciendum denique, verba illa *lib.* 1. *pag.* 37. quibus Christus *homo simulatus* vocatur, quæque nonnullis displicuerunt; non esse Arnobii, verum Ethnicorum jocularia, quos tanto ardore refellit.

XX. Lactantius egregium de Filii æternitate ejusque cum Patre consubstantialitate testimonium reddit *lib.* 4. *cap.* 29. *pag.* 350-51. *tom.* 1. *ed. Paris.* Cum enim Patrem sine Filio, & Filium sine Patre posse esse neget, necesse est, Filium una cum Patre semper extitisse affirmet, cum Pater, inquam, qui semper extitit, Filio carere non possit suo. Atque hoc etiam principio unitatem substantiæ numericam docere videtur, quamvis Clericus *tom.* 10. *Bib. pag.* 413. non singularitatem, sed consensûs & similitudinis unitatem invito Lactantio inde eliciat. Etiamsi non tanta sit Lactantii, quanta ceterorum scriptorum diligentia & provisio, ne Verbi progressio, de qua loquitur *lib.* 2. *cap.* 9. *pag.* 143. ejus æternitatem lædere videatur; quia tamen tot rebus declarat, se nequaquam

age-

agere de generatione illa, in qua omnia a Patre ad Filium transfluxerunt, non videtur ab aliorum sententia discessisse nec ibidem, nec *lib.* 4. *cap.* 6. *pag.* 284. & 8. *pag.* 289. Sed quemadmodum docet Tertullianus, *Λόγον* in mundi creatione accepisse vocem & sonum, quum ab æterno Ratio fuisset & Sophia; cumque individuis suis Ratione & Sophia prodiisse: sic etiam Lactantius declarat *pag.* 290. *Dei vocem manere in æternum, & sensu ac virtute comitari.*

Instituta illa ejus inter Filium Dei & Angelorum principem *libri secundi laudato loco*, ac ceteros Angelos *libri quarti capite octavo*, comparatio, quæ tantam apud aliquos offensionis lapidem invenit, non tanti quidem facienda est, quanti videretur prima fronte. Nam si omnia Lactantii verba, præsertim *lib.* 2. *cap.* 9. accurate perpenderentur, non tanta profecto audacia Manichæismus illi impingeretur. Neque enim injuriam Filio Dei Lactantius facit, ut Manichæi substantiale & æternum malum fingentes; cum eum bono, malo diabolum præesse pronunciat: siquidem ab illo veritatis cognitio & virtutis amor, ab hoc autem errores & vitia in humanum genus derivata fluxerunt. Porro in hac comparatione, quum haud de æterna illa Verbi generatione loquatur; verum de ea, in qua Filius voluntariam rerum administrationem suscepit, minime inhonorifice de Filio Dei loqui-

quitur, ut complures exclamant: quamvis illum cum voce ac sono ex Dei ore processisse, hos autem tacitos ex Deo Spiritus prodiisse, dicat.

Accusatur, præsertim a divo Hieronymo *in epistolis ad Pammachium*, *& ad Galat. cap.* 4. quod Spiritum Sanctum vel ad Patrem, vel ad Filium referri, & sanctificationem utriusque personæ sub ejus nomine designari, doceat. Epistolæ illæ ad Demetrianum, in quibus potissimum hunc Jadaïsmum contineri ait, non extant. In Institutionum vero libro quarto occurrunt quidem duo loca *cap.* 12. *pag.* 299. & 18. *pag.* 326. in queis Filio nomen Spiritûs dari videtur; sed absit, ut Sabellianismum ibi induci existimetur. In primo enim, in quo Spiritum Dei de cœlo descendisse, & virginalem uterum elegisse, ait, ejusmodi locutio non vituperanda, sed cum verbis illis apud Lucam *cap.* 1. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te*, omnino conjungenda. In alterο, ubi eundem Dei spiritum per Psalmistam de se dixisse putat, quod post annos mille & quinquaginta passurus erat: *Foderunt manus meas & pedes meos*, &c. Filium plane innuit, quem in eo Psalmo vigesimo primo loqui contendit, eique merito attribuit inspirationem Prophetarum, quos per Spiritum suum afflavit. Videtur igitur S. Hieronymus ob Fidei studium, quo totus flagrabat, nimis severum se Lactantii censorem præbuisse.

XXI.

XXI. Dionysius, Alexandrinæ ecclesiæ ille præsul, cujus fama periniquis suspicionibus flagravit; etsi libris contra Sabellium suis nonnulla a catholica veritate, saltem loquendi modo, abhorrentia insperserit, propterea que in tot criminationes inciderit, adeo ut a Basilio *epistola nona* varius & inconstans in scriptis suis dicatur, ac primus fuisse, qui Anomoeorum impietatis, quæ tum increbrescebat, semina hominibus præbuerit; & a Gennadio *Dogm. cap.* 4. fons Arianæ hæresis appelletur: non est tamen, quin catholice sensisse existimandus sit, atque inter egregios sanctissimæ Trinitatis defensores recensendus: quum ea, quorum nomine tanto fuit ardore postulatus, ȣ πονηρίᾳ γνώμης, ἀλλὰ τῷ σφόδρα βȣ́λεσθαι ἀντιτείνειν τῷ Σαβελλίῳ, *non sententiæ pravitate, sed vehementi studio Sabellio adversandi*, ut censet Basilius *laudata epistola pag.* 90. *c.* & κατ᾽ οἰκονομίαν, dixerit, teste Athanasio *in illius Apologia n. 6. pag.* 247. *c. n.* 24. *pag.* 260. *b.* & *n.* 26. *pag.* 261. *c. tom.* 1. *part.* 1. *ed. Par.*

Proferebant quidem Ariani ex celeberrima illa ejus ad Euphranorem & Ammonium Epistola locum ad hæresim suam comprobandam, in quo ipse ποίημα καὶ γενητὸν εἶναι τὸν ὑιὸν τȣ͂ θεȣ͂ aiebat: μήτε δὲ φύσει ἴδιον, ἀλλὰ ξένον κατ᾽ ȣ̓σίαν αὐτὸν εἶναι τȣ͂ πατρὸς, ὥσπερ ἐςιν ὁ γεωργὸς πρὸς τὴν ἄμπελον, καὶ ὁ ναυπηγὸς πρὸς τὸ σκάφος.

καὶ

καὶ γὰρ ὡς ποίημα ὢν, ὐκ ἦν πρὶν γένηται. Opus & rem factam esse Filium Dei: neque porro natura proprium, sed alienum a Patre secundum essentiam esse, qualis est agricola a vite, & naupegus a scapha. Etenim cum sit res facta, non erat antequam fieret. Proferebant quidem, inquam; atque Athanasius, qui ea verba refert *n.* 4. *pag.* 246. *a.* testatur, ejusmodi nonnulla excidisse Dionysio, dixisseque, Filium esse rem factam, nec proprium substantiæ Patris, *n.* 12. *pag.* 251. at non fuisse, antequam fieret, aut alienum esse a substantia Patris, id vero nusquam Arianis concedit, etiamsi consentiat, ut has consecutiones ex Dionysii verbis eruant, modo illa verba ad Christi carnem referant.

Cæterum in Apologia illa pro Fide sua ad cognominem Pontificem ὁμοὐσιον & συναΐδιον Patri Filium profiteri se docet: Οὐ γὰρ ἦν, inquit apud Athanasium *n.* 18. *pag.* 255. ὅτε θεὸς ὐκ ἦν πατὴρ. *Nunquam enim fuit, quando Deus Pater non erat.* Et, ἀπαύγασμα δὲ ὢν φωτὸς ἀϊδίυ, πάντως καὶ αὐτὸς ἀΐδιός ἐστι. *Cum autem* Filius *sit splendor æternæ lucis, æternus omnino & ipse est.* Tandem in epistola, quam sub vitæ exitum contra Paulum Samosatenum exaravit, egregie de Trinitate locutus est, præsertim cum asserat, divinum Verbum Jesum Christum increatum esse. Οὐ γὰρ κτιστὸς ὁ Λόγος Ἰησῦς Χριστός.

XXII.

XXII. Lucianus, Antiochenæ Ecclesiæ ille presbyter, qui in Maximini persecutione gloriosum Nicomediæ martyrium ob Christi confessionem consummavit anno CCCXI. quique adeo in Scripturis exercitatus fuit, Sozomeno teste *lib.* 3. *H. E. cap.* 5. ut Hieronymi ævo (*) illius sacri Codicis versio Constantinopoli Antiochiam usque recepta apud Catholicos probataque fuerit : de Filii divinitate substantiæque cum Patre unitate parum sane sensisse ; immo absurda de Trinitate nonnulla commentum esse, ab aliquibus accusatur, eo fultis argumento, quod Alexander Alexandrinus in epist. ad Alexandrum C. P. apud Theodor. *H. lib.* 1. *cap.* 4. postquam ait, Arianam perfidiam ex Ebione & Artema ortam esse, Pauli autem Samosateni imitatione expressam, hæc de Luciano subjiciat : Οὗ διαδεξάμενος Λουκιανὸς, ἀποσυνάγωγος ἔμεινε τριῶν ἐπισκόπων πολυετεῖς χρόνους· *cui* Paulo in errorem *succedens Lucianus*, *pluribus annis a trium Episcoporum communione segregatus mansit*. Quin etiam, quod Arius ipse ejusque fautores, ob suum fidei cum ipso consensum, *Lucianistas* sese nominarent, ut ex Arii ad Euseb. Nicomed. epistola apud Epiph. *Hær.* 69. *pag.* 732. ac Theodor. *laud. lib. cap.* 5. nec non ex Marii Victorini primo contra Arium libro,

(*) Hieron. Catal. Script. Eccles, pag. 309. tom. 1. ed. Par. 1643. et Præf. in Paralip.

libro, ejusdemque Epiph. Ancorato *n.* 33. *pag.* 38. videre est. Adde & Philostorgii sententiam *lib.* 2. *cap.* 15. *pag.* 20. *ed. Genev.* Arianorum principes videlicet ex Luciani disciplina profectos esse.

Qui S. Martyrem vindicare susceperunt, persuadere conantur, Alexandrum, si non erravit, de illo certe πολυθρυλλήτῳ non loqui Luciano, qui sanguinem pro Christo suum libentissime profudit: eo quod Historiæ omnis Eccles. fidei repugnet, ipsum Samosateni blasphemiam fuisse amplexum, Arianisque favisse, qui illam damnabant; ei præterea commento reclamet illa fidei Confessio, quam eidem Ariani tribuentes, tantopere venditabant. (Hinc fuisse reor, quod per eam formulam Nicænæ fidei assertores se Ariani dicerent, seseque *Lucianistas* appellarent.) Hæc Lucianæa professio, quam Athanasius *de Syn. tom.* 2. *pag.* 587. *ed. Pat.* Socrates *H. lib.* 2. *cap.* 10., & Hilarius *de Syn. pag.* 1168-69. *ed. Par.* recitant, dempto vocis ὁμοούσιον defectu, cetera cum Nicæno symbolo consentit, ut & Sozom. observat *lib.* 6. *cap.* 12. Nam absoluta Filii divinitas naturæque cum Patre æqualitas peregregie ibi exprimitur illis verbis: Θεὸν ἐκ Θεοῦ, ὅλον ἐξ ὅλου, μόνον ἐκ μόνου, τέλειον ἐκ τελείου, *Deum ex Deo, totum ex toto, solum ex solo, perfectum ex perfecto*; quæque Arianis nonnihil favere videntur, ea plane catholice dicta esse probe ostendit Hilarius

rius *cit. loco pag.* 1171-72. Quamobrem sentiendum est, Alexandrum quidem, cujus judicium confirmat Epiph. *Hær.* 43. nec in re, quam testis oculatus tam accurate prosequitur, deceptum fuisse; nec de alio verba facere, quam de eo, cujus martyrium totius Ecclesiæ gratulatione celebratum est: Lucianum autem, Samosatensem primo imprudentem defendisse quidem, ac deinde Arianis plus nimio favisse; verum nec obstinatum in errore fuisse suo, quem cum ipso hæreticorum patrocinio haud cunctanter abjecit; nec de ejus existimatione detrahere debere imprudentem culpam uberi pœnitentiam emendatam, plurimis in Ecclesiam meritis compensatam, proprio demum sanguine expiatam: unde est, quod ejus laudes pleno prædicarunt ore Eusebius, Hieronymus, Rufinus, Chrysostomus, aliique. Postremo, etiamsi omnia pæne Luciani scripta interciderint, qualis tamen fuerit ejus orthodoxia, ex luculento illo apud Suidam *in voce* testimonio, ex Logothetæ metaphrasi in illius martyrium deprompto, cognoscere probe est.

DIS-

DISSENSIONUM

INTER

S. BASILIUM ET EUSTATHIUM SEBASTENUM

HISTORIA.

CElebris profecto ille est et mirabilis Naturæ ludus, tot animorum vicissitudinibus variatus, ut præcipua ingeniorum et affectuum genera insint mortalibus, quibus agantur, ac simul alii ab aliis insigni discrimine separentur. Hæ indoles, queis pro nativæ regionis spiritu varie affecti homines veluti ineluctabili fato totum vitæ suæ institutum informare adiguntur, multiplices effectus humanæ societati importare videntur. Pessima mehercule diris omnibus devovenda ea semper visa est, quæ id genus hominum educat, qui malignum et ad omne facinus paratum animum pietatis ac sanctimoniæ specie mira arte prætexunt. Nam austeritatem et Numinis cultum adeo serio sibi placere præferunt, ac si nulla hilaritas tam sanctis officiis possit intercedere. Fronte dejecta, et veluti ad omnem remissionem irascente, supercilium induunt affectatæ sanctitatis, quæ vulgo illudit, atque ejus favorem sibi conciliat. Alienæ vitæ superbi censores, ceterorum probitatem

ex ficta sua severitate metiuntur. Inire amicitiam difficiles, illius dulcedinis impetu non ducuntur, quæ plerosque in rerum aut hominum novò usu, tamquam inusitato gustu, blandissime percellit: gloriæ tamen præconiisque inhiant tristissimo ardore. Ingenti modestiæ imagine videntur non ultra verecundiæ præscriptum loqui, ad omne vitii nomen supercilium ducere, et nemini aperte contumeliam facere, nedum professo odio referre. Vitiosam solitudinem plurimum amant: cui fœdissimæ contemplationi ideo securius acquiescunt, quod sic impune liceat sibi unis consciis esse; palam autem non multum operosa pietate, sed ad ceterorum credulitatem idonea, virtutem adornant. Benigni vultus sunt, ut syrtibus arenisque similes esse credideris, quæ brevibus ac placidis undis tectæ, tamen ventorum impatientes in immensum solent subsidere, et calcantes haurire: Ubi enim personatæ pietatis larvam abjiciunt, tum vero videas veluti ab effractis ergastulis subito et inconsulto turbine totos erumpere, per insanos impetus præcipites ire, injurias, contumelias, clades parare, et, si impune liceat, in crudelitatem effundi: unde tandem innocentes animas antiqui livoris sui victimas habeant.

I. Eustathius, Sebastes in minori Armenia episcopus, Cæsareæ Cappadociæ natus est anno Christi trecentesimo secundo. Educatus domi apud parentes atque humanioribus litteris institutus, Alexandriam a patre Eulalio, Cæsariensis ecclesiæ presbytero, mis-

missus fuit, et Ario tunc ibi florenti traditus, in sacris disciplinis erudiendus. Posito apud eum præceptorem tirocinio, Antiochiam perrexit, et in clerum illum nisus obrepere, oblato sanæ fidei libello, repulsam passus est. Quamobrem arcano percitus furore, in patriam se recepit, et ab Hermogene simulata pietate presbyteratum extorsit. Eo demortuo Constantinopolim contulit se ad Eusebium Nicomediensem, Ariani dogmatis patronum acerrimum; verum, ob perfidiam in quibusdam dispensationibus ipsi commissis, depositus in illa Synodo sacerdotio atque expulsus, rediit in Cappadociam, ibique sanæ fidei confessione se purgavit. At paullo post pater Eulalius, qui Hermogeni in Episcopatu Cæsariensi successerat, vestem sacerdoti indecoram pervicaciter gestantem filium a precum communione separavit. Tum vero Eustathius, ut rebus suis consuleret, in Armeniam secessit, et apud Ponticos et Paphlagonas monasticam philosophiam colere eo studio vitæque austeritate cœpit, ut *Ascetæ* nomen adeptus fuerit. Et quidem tanta de ejus sanctitate fama per illas regiones pervagata est, ut undique ad eum discipuli confluerent, ac brevi multa monasteria in pagis et oppidis instituerit. Sed quid? in absurdissimos errores statim impegit: Nam adeo nuptias damnabat, ut conjugatis spem omnem adimeret æternæ beatitudinis, et ad communionem suam non nisi continentes admitteret: ex quo factum est, ut complures mulieres, viris relictis; ac viri, uxoribus dimis-

sis, connubii vinculum dissolverent, indeque propter incontinentiam adulteria committerentur. Carnium esu, velut malo, interdicebat. Presbyteros conjugatos ita aversabatur, ut cum illis res sacras agentibus communicandum esse negaret. Primitias fructuum et oblationes sibi vendicabat, inter suos dispensandas. Conventus ecclesiasticos spernebat, et suos cœtus extra ecclesias agebat. Agapas, seu convivia, quæ pauperibus ex Christiana charitate impendebantur, contemnebat. Filios a parentibus, servos a dominis, continentiæ ac religionis prætextu abstrahebat. Tradita in commune jejunia, et ab ecclesia servata, dissolvere, diemque Dominicum insolitis jejuniis funestare, non verebatur. Singulare quoddam indumenti genus affectabat ad ostentationem fictæ virtutis, eosque despiciebat, qui vestibus communibus utebantur. Mulieres et virgines tondi ac virili habitu indui sinebat, propter continentiam. Abhorrebat a conventibus, quos Christiani ad martyrum memoriam celebrabant. Vivendi ad arbitrium sentiendique libertatem concedebat. Immoderatum paupertatis studium ostentabat. Denique divitibus non omnia sua projicientibus spem apud Deum præcludebat.

II. Is erat cum suis discipulis Eustathius, quum de illorum vitiis magnæ querelæ ad varias Ponti et Paphlagoniæ ecclesias delatæ sunt. Quapropter tredecim episcopi Gangris, Paphlagoniæ metropoli, convenerunt anno CCCXLI. omnibusque exacta tru-

trutina ponderatis, decretum fuit, ut magister cum discipulis suis ab ecclesiæ communione rejiceretur, nisi dogmata sua anathematizaret; atque ad ea vitia resecanda viginti canones constituti fuerunt, quos Synodus omnibus Armeniæ episcopis, ubi potissimum ea secta vigebat, inscripsit. Unde Eustathius, ut persuaderet, se non præfracti moris caussa, sed pietatis studio eas leges tulisse, sic vitæ institutum reformavit, ut cum morum gravitate, tum austero vivendi genere omnes in sui admirationem raperet.

III. S. Basilius, magnum illud ecclesiæ lumen, Cæsareæ pariter Cappadociæ natus anno CCCXXIX. diligentissimaque institutione educatus, quum patrem cognominem amisisset, quem in arte rhetorica audiebat, Constatinopolim a genitrice Emmelia missus est anno CCCXLIV. ubi, præceptore Libanio, quinquennium in rhetoricæ et philosophiæ studiis magno plausu transegit. Constantinopoli profectus, Athenas venit circa annum CCCLV. et Geometriæ, Arithmeticæ, Astronomiæ, Medicinæ, sacris demum litteris operam dedit. Tandem optimis disciplinis mirifice excultus in patriam reversus est, ex qua haud multo post Ægypti Libyæque monasteria ivit perlustratum,

IV. Ea in peregrinatione Basilius sanctissimos viros vidisse testatus est, qui nulla prorsus naturali necessitate inflecti patientes, in fame et siti, in algore et æstu, indomitum animi robur servabant; ac tamquam aliena in carne viventes reipsa

ostendebant, quid sit in hac vita peregrinari, quid civitatem in cœlo habere . . Itaque reversus post biennium circiter in patriam, cum totus flagraret desiderio imitandi ea, quæ peregre suspexerat; videretque nonnullos ex Eustathii discipulis eadem instituta sectari, sibi visum est adjumenti aliquid in eis reperisse ad salutem suam. Peracto igitur quod dudum distulerat consilio, sua omnia pauperibus distribuit, et cum aliquibus ex illis in solitudinem secessit; ipsumque Eustathium conveniens, amicitiam cum eo junxit, propter quam gravissimæ sibi molestiæ acciderunt.

V. Interim Eusebiani, quibus Eustathius impense favebat, ut validum adjutorem haberent suorum consiliorum, ad Sebastenum episcopatum eum evexerunt; nec eos fefellit animus: ubique enim strenuam illis operam navavit, præsertim in caussa S. Athanasii, cujus damnationi subscripsit in conciliabulo Mediolanensi secundo anno CCCLV. Sed paullo post, cum plures episcopi gratia et auctoritate pollentes ab Arianis aliquantum sese dis ugerent, ac Semi-Arianæ nequitiæ nomen darent, unxit se cum illis Eustathius, eorumque partes sectatus est in concilio Ancyrano secundo, ubi τὸ ὁμοούσιον anathematizatum est; et in Seleuciensi, in quo altera ex tribus Antiochenis fidei formulis proposita est: quin ipsi Basilio, Ancyræ episcopo, operam navavit in refellendo Aëtio, sodali suo, quem falsis criminibus apud Gallum Cæsarem in invidiam adduxerunt, si fides adhibenda Philostorgio lib. 3. cap. 16. et 27.

VI.

VI. Arianis rursus dominantibus Eustathius hæreticæ formulæ subscrispit Constantinopoli anno CCCLX. ineunte, ab Acacio cum suis conditæ, qui Seleuciensis Synodi decreto damnati, ad Imperatorem Constantium convolaverant; nec tamen depositionem et exilium effugit. Nam eo quod in concilio Neocæsariensi excommunicatus fuerat, in Antiocheno perjurii damnatus, in Melitinensi tandem depositus; ab episcopatu fuit ejectus, atque in Dardaniam relegatus, Meletio in ejus vicem suffecto. Quamobrem quasi piaculum in Constantinopolitana Synodo patratum expiaret, iram suam in Eudoxium, Evippium, Georgium, et Acacium evomuit, celeberrimis contra illos litteris ad omneis ecclesias missis, quibus negabat Dei gratia ecclesias eos gubernare; sed potentia gloriæque inanis cupiditate principatus rapuisse ajebat.

VII. Defuncto Constantio, et Juliano Imperii habenas moderante, ab exilio revocatus fuit: quo in reditu altaria Basilidis evertit, propriisque in mensis sacrificavit. Deinde variis fidei formulis, pro re sua, subscripsit Zelis et Lampsaci anno CCCLXIV. Arianis semper infensus, cum Semiarianis arcte conjunctus. Attamen, persecutione post concilium Lampsacenum ingravescente, subscripsit hæreticæ illi formulæ, quæ Nice in Thracia edita fuerat anno CCCLIX. ab Eudoxianis oblatæ. Quod magnum ejus nomini dedecus cum inureret, et a catholicis episcopali dignitate exutus esset; posteaquam fraudem sibi factam publice deplora-

vit, Romam petiit, et Nicenam fidem ore tenus professus, a Liberio Papa receptus fuit, dimissusque cum litteris : quibus concilio Tyanensi oblatis anno CCCLXVIII. sedi suæ restitutus est. Crevit Arianorum potentia sub Valente, ac metum intulit Eustathio, ne sententia olim in Constantinopolitana Synodo in se lata renovaretur. Itaque medium inter catholicos et hæreticos se tenuit, ut et famæ suæ consuleret, neque Arianos irritaret.

VIII. Incredibile est, quanta calliditate occuleret sycophanta ille nequitiam suam ! Nec mirum videri debet, si tamdiu sincero homini, qualis erat Basilius, fucum fecerit, qui præstantissimos etiam viros inclytosque præsules, ut Silvanum Tarsensem et Eusebium Samosatensem, ad amicitiam suam traxit non modo simulata orthodoxæ fidei professione; verum etiam acerrima interdum defensione : Nemini enim in hoc genere cedebat, ubi catholicis sese partibus addicebat; ac mirabili animi ardore consequebatur, ut et præteritæ ejus labes infirmitati humanæ tribuerentur, nec præsens perfidia in ullam suspicionem veniret. Accedebat austerum vivendi genus, et magnarum virtutum simulacra. Tantam denique caritatem præ se ferebat, ut pro quavis anima sollicitus videretur.

IX. Eusebio vita functo, Basilius ad episcopatum Cæsariensem ingenti catholicorum lætitia evectus fuit anno Salutis CCCLXX. Tum Eusthatius per speciem auxilii et amicæ communionis dedit ei duo ex suis ascetis, Basilium et Sophronium. Moraban-

bantur hi in ædibus Basilii, et innocentem illam animam personata pietate decipiebant: adeo ut alterum sanctissimus præsul præsidium vitæ suæ existimaret, alterum filium appellet in epistola 105. Uterque in dissimulando peritissimus artifex: siquidem quamdiu apud se eos habuit Basilius, nefaria eorum consilia ne subodoravit quidem. Sed ut ficta omnia serius ocius nudari solent, tandem e domo ejus prorupere; sicque immensam quamdam doli atque acerbitatis voraginem animo hactenus occultasse, illiberali illa fuga ostenderunt.

X. Basilio tantum dolorem inussit illorum, quibus maximopere fidebat, deprehensa improbitas, ut pene omnes homines ei in suspicionem venerint „ *Dolui*, inquit ep. 131. *quod veritates a filiis hominum diminutæ sint; atque egomet mihi timui, ne etiam aliis peccatis odium hominum adjicerem, nihil esse fidei in ullo prorsus homine existimans: siquidem illi ipsi, quibus in maximis rebus confidebam, tales erga me, tales erga ipsam veritatem se præbuerant* „. Tamen nullam de Eusthatio suspicionem tunc habuisse visus est; sed veritus, ne calumniis discipuli animum magistri a se alienarent, misit Sebastiam anno CCCLXXII. ineunte fratrem suum Petrum, ut singula narraret Eustathio: cui humanissimas scripsit litteras, rogans, ut pro sua prudentia rationem iniret, quomodo curanda essent, quæ discipuli peccaverant, et caritate sua adstringeret potius, quæ disjuncta erant, quam cum illis ad dissidium incumberet. Adeo sim-

simplices et ingenui deceptionibus obnoxii sunt.

XI. Eustathius discipulorum proditionem magno pietatis apparatu castigare debuisset, nisi sceleris arcanus auctor extitisset; at ita se gessit, ac si injuria nomini suo illata esset. Recepit perbenigne perfidos discipulos, atque inculpatum Basilii agendi modum malignis sermonibus carpsit. Non dissiluit nihilominus inter utrumque præsulem amicitia, sed dumtaxat aliquantum refrixit, ut colligitur ex epistola 223. in qua Basilius, ubi acceptum ex speculatorum perfidia dolorem enarravit „ *Attamen*, subjungit, *videbatur interim aliqua nobis inesse species consuetudinis cum illis; atque etiam disputationes habitæ inter nos de dogmatibus semel atque iterum, ac visi sumus inter nos non pugnare, sed consentire*. „

XII. Perpetuas ægritudines afferebat Basilio Eustathii communio: hinc objurgabatur ab amicis, præsertim a Theodoto Nicopolitano; illinc ab inimicis et obtrectatoribus assiduis calumniis appetebatur. Purgavit se pluries; sed quum nihil promovere videretur, angebatur animo non mediocriter, et quid consilii caperet, nesciebat. Nolebat quidem communioni illius renuntiare, quem tam perditæ fidei, profligatorumque morum non putabat; famæ tamen suæ consulere cupiebat, et amicorum querelis finem aliquando imponere.

XIII. Ad memoriam quorumdam SS. Martyrum, medio mense Junio in Phargamo Nicopolis recolendam, vocatus fuit a S. Meletio et Theodoto

Basi-

Basilius eodem anno CCCLXXII. ut de ejus cum Eustathio communione, quæ multos lædebat, aliquid statui posset. Ea in re cum videret Basilius, Eusebium Samosatensem, pro summa viri auctoritate maximisque de Ecclesia meritis, magno sibi præsidio futurum, scripsit ad eum triginta tribus ante festum diebus: verum cum summæ essent temporis angustiæ, antequam responsum Samosatis acciperet, viæ se commisit, ut mature locum posset assequi. Transeundum Sebastia fuit, ibique commorandum, ut de Eustathii fide certa indicia Nicopolim perferrentur. Ubi præsules congressi sunt, proposuit Eustathio Basilius quicquid de fide illum Theodotus criminabatur, rogavitque, ut animos nudaret suos: si rectam fidem sequeretur, secum communicare perrecturos; sin contra, sciret, se quoque ab ipso abalienatum iri. Tandem, quamvis vehemens adversarius, Pœmenius Sebastenæ ecclesiæ presbyter, accessiset; sic tamen et objecta dissolvit, et catholicam doctrinam ante oculos exposuit, ut unanimi et concordes discesserint.

XIV. Probe sciebat Basilius, privatum illud colloquium non satis insigne monumentum Eustathianæ fidei futurum, nisi scripto aliquid consignaretur „ *Oportebat me*, inquit Ep. 99. *et scriptam aliquam confessionem ab homine accipere, ut et illius adversariis manifesta fieret hæc assensio, et ceteris idoneum extaret illius propositi monumentum* „. Sed ut accuratius ac diligentius rem gereret,

ret, fidei formulam ab ipso Theodoto accipere volebat, Eustathio offerendam, ut una eademque opera duo consequeretur, nempe et Eustathium, si subscriberet, ab omnibus suspicionibus, et se ab amicorum querelis inimicorumque calumniis, liberaret ac solveret. Quamobrem Nicopolim recta pergere opus erat; sed duplex eum caussa Cæsaream vestigia referre coëgit. Prima, quod Theodotus, ubi ipsum cum Eustathio esse cognovit, antequam disceret, cur id fecisset, quidque ex congressu esset consecutus, minime ad conventum admittendum esse existimavit, nec iterum misit qui eum deduceret. Altera, eaque longe gravior, quia Sebastiæ litteras accepit, quibus venturum se Eusebius negabat. Quapropter statim refrixit cupiditas eundi Nicopolim: Cum Eusebio enim ne gravissima quidem discrimina reformidabat, sine eo vel levissimis impar sibi videbatur. Itaque satius esse ducens aliàs Nicopolim proficisci, Cæsaream reversus est.

XV. Jamdiu Cæsariensis ecclesia jus exarchicum obtinebat. Hinc mandatum accepit ab Imperatore Basilius eodem anno exeunte per litteras comitis Terentii, ut Armeniæ episcopos daret. Nil certe eo optatius fuit Basilio, et votis suis opportunius; potissimum quod Theodotus muneris socius ipsi adjunctus fuerat. Ut igitur mature coram locuplete teste rationem redderet eorum, quæ pridem egerat, Getasa venit in agrum S. Meletii, ubi Theodotus cum Diodoro presbytero aliisque episcopis interfuit. XVI.

XVI. Accusatus ibi a Theodoto ob Eustathii communionem Basilius, significavit, se ex congressu cum Eustathio habito consecutum esse, ut ille in omnibus sibi assentiretur. Contra Theodotus, Eustathium, statimac discessit Basilius, suis discipulis affirmare, se minime cum eo consentire. Tum Basilius (qui nondum illius animum probe perspectum et cognitum habebat) non eum esse Eustathium, qui ita leviter in contraria ferretur, quum sibi mirifice in tota vita constaret; aut in tanti momenti rebus, omniumque fama celebratis, mentiretur, quoniam mendacium vel in minimis, ut horribile quiddam aversabatur. Quod si id verum esset, proponendum illi esse libellum, quî omne rectæ fidei specimen complecteretur: si subscriberet, in hominis communione manendum; sin minus, statim discedendum. Probata omnibus conditione, formulam Basilius condidit, quam omneis communi suffragio (hinc Synodicum appellat libellum Leontius lib. I. in Nest. et Eutych.) comprobarunt, quod præter Nicænam fidem ea contineret, quæ ad perspiciendum Eustathii animum de Spiritu sancto necessaria videbantur.

XVII. His ita actis Theodotus peramice Basilium hortatus est, ut Nicopolim descenderet, cum Ecclesiæ invisendæ caussa, tum ut ipse Satalos usque eum deduceret, in omnibusque ei operam navaret. At mox, quasi oblitus eorum, quæ modo pactus fuerat, ita Basilium aversatus est, ut neque ad matutinas, neque ad vespertinas eum laudes assu-

assumere voluerit. Quamobrem mœrore affectus Basilius Nicopoli discessit, secum afferens fidei formulam Eustathio subscribendam; et Sebastiam recta perrexit. Ubi post novum de dogmatibus colloquium cum Eustathio coram suis discipulis habitum, protulit libellum fidei, et iis audientibus recitavit, quos ad subscribendum induxit, ut infra eundem, qui inter Basilii epistolas extat pag. 214. videre est.

XVIII. Postquam subscriptum est, indictus fuit alius locus, aliudque tempus iterum conveniendi, ut coeuntibus parœciæ episcopis insignior esset animorum conciliatio, ac deinceps suspicionibus locus præcluderetur. Adfuturum se promisit Eustathius, et discipulos adducturum. Itaque lætus Basilius ad ecclesiam suam se recepit. At ubi Eustathius sociique cognoverunt, Basilium a Theodoto in communionem non recipi, seque cum suis æque repelli: quod spe frustratus esset, gloriam ex subscripta fidei professione consequendi, furore incensus, hanc primam internæ labis significationem dedit, ut ad designatum locum adesse noluerit. Tum qua verbis, qua scriptis Basilium calumniari et carpere, quasi de fide haud recte sentiret: hanc sæpe rationis suæ caussam prætexens, ne levitatis argueretur. Basilius contra, qua flagrabat caritate, rursus eum monuit, proposuitque ad dissolvendum paucis quidem, sed disertis verbis eadem, queis nuper assentiri visus fuerat „ *Proposui*, inquit epist. 128. *simplicia, clara*,

ra , et facilia ad recordandum verba , utrum eos , qui non recipiunt Nicænam fidem arceamus a communione ; et utrum cum iis , qui creaturam dicere Spiritum sanctum audent, partem habere nolimus„. Tandem illum non modo pervicaciter in pravitate permanere, verum etiam in conviciis et calumniis progredi , cum videret , considerans animo , neque Aethiopem pellem suam unquam mutaturum, neque pantheram maculas suas , neque hominem in perversis dogmatibus nutritum hæresis vitium posse deserere, delevit a corde suo, et mutuæ communioni silentium indixit.

XIX. S. Eusebius Samosatensis, cum moleste ferret hoc amicorum dissidium , medium se inter utrumque interposuit , et pacem sarcire conatus est . Egit cum Eustathio , ut is fidem suam purgaret ; acceptaque de fide responsa misit ad Basilium , quem etiam ad pacem hortabatur , humilitatis significationes ab eo reposcens . Respondet Basilius , se pro pace vitam profundere paratum esse ; sed veram pacem a Domino relictam exquirere ; nec aliquid ab Eustathio afferri , quod eam pacem posset conciliare . Itaque eum rogat epistola 128. ne se quoque illius cavillationibus decipi patiatur, cujus astutiam adeo exploratam jam habebat, ut in se velit omnem dissidii culpam conferri , si palam Eustathius communionem cum fidei hostibus ejuraret.

XX. Cæterum non hic steterunt Eustathii in Basilium injuriæ. Graviora postulabat inimicum tempus

pus Basilianæ virtuti . Quærebant illius animam Ariani , eorumque molitiones brevi optatum exitum habituræ videbantur . Quare in rem erat Eustathio , maximaque apud Arianos commendatio , capitaliter a Basilio dissidere . Itaque haud multo post Eusebii litteras Eustathius in Ciliciam abiit , et Gelasio cuidam eam fidem exposuit , quam solius Arii , vel germani alicujus illius discipuli , erat scribere . Inde reversus , statim epistolam exaravit , qua communionem Basilio renuntiabat : hanc caussam prætexens , quod ille ad Apolinarium scripsisset , et presbyterum Diodorum haberet communicatorem .

XXI. Ea epistola perculsus Basilius , respondere non potuit : erat enim constrictum ejus cor , lingua dissoluta , manus torpebant ; quin etiam fatetur , se pene in hunc animi non generosi morbum incidisse , ut suspectos omnium mores haberet , nec caritatem inter homines , nisi solo nomine , crederet superesse . Nam cum consideraret , Eustathium , qui ab infantia ad summam senectutem visus fuerat præclare se gerere , tam levibus de caussis in summam discordiam erupisse ; non videbat , quomodo aliis hominibus confideret , qui nec tot a se acceperant amoris pignora , nec tanta virtutum specimina ediderant . Itaque Eustathii litteris nihil respondit , non contemptu , sed consilii inopia ; quod nihil dolore dignum posset eloqui .

XXII. Sic affectum Basilium multo graviora exce-

Digitized by Google

ceperunt . Eustathius palam et aperte virus suum evomuit in litteris specie quidem ad quemdam Dazinam, revera tamen ad omnes homines , datis . Jam septem diebus in aliorum manibus erat epistola , per omnem Pontum , Galatiam , Bithyniam usque ad ipsum Hellespontum dispersa; cum in manus Olympii, nobilis Neocæsareæ civis , et Basilii amici , pervenit : qui eam statim Basilio perferendam curavit . In hoc repudii , ut appellat Genethlius presbyter , libello magnæ humilitatis laudem sibi sumebat Eustathius ; Basilio autem fastum et arrogantiam , fraudem et versutiam , corruptionem demum ecclesiarum animarumque perniciem , exprobrabat . Querebatur , quod chorepiscopos suos recipere noluisset, atque insidiis maloque animo celeberrimam illam fidei confessionem elicuisset. Tandem post has et alias ejusmodi criminationes, (1) hæretica quædam verba sub-

b jecta

(1) Colligitur ex Basilii epistola 131. ad Olympium , plurium errorum insimulatum fuisse ab Eustathio sanctissimum præsulem in flagitioso illo libello ; ac veluti ad veritatem probandam varia hæreticorum deliria subjecta esse , inter quæ quædam Apolinarii legebantur , Sabellianismum redolentia . Instat enim in laudatis litteris Basilius „ *Quomodo enim non fere de meæ mentis statu sum dejectus , cum in epistolam ad religiosissimum fratrem Dazinam scriptam incidi , innumeris contumeliis intolerandisque in me accusationibus & assultibus refertam , quasi in deterrimis contra Ecclesiam consiliis deprehensus essem ? Sed & statim argumenta , ut vera esse conjecta in nos probra viderentur , apposita sunt ex scri-*

jecta erant tacito auctoris nomine, ut Basilius ipse auctor esse videretur: *Scriptis*, inquit ep. 244. *in nos litteris hæretica verba subjecerunt celato impietatis auctore, ut vulgus ac simpliciores ex præmissa in nos accusatione nostra esse crederent, quæ subjecta erant.*

XXIII. Sceleri scelus addidit Eustathius longe gravius; nam ut ratum faceret quod antea flagitiosissime egerat, et invidiam Basilio conciliaret; sparsit in vulgus epistolam Basilii ad Apolinarium, quæ eadem hæretica (1) Sabellii verba comple-

ptis nescio a quo compositis. Ac partem quidem agnovi, fateor, ab Apolinario Laodicensi scriptam esse; neque tamen hoc ipsum data opera unquam legi, sed ex aliis audivi narrantibus. Alia vero nonnulla reperi adscripta, quæ nec unquam legi, nec alio referente audivi; atque horum testis est in coelo fidelis.

(1) Basilius epist. ad Eustath. Medicum „ *In promptu illis contra nos Sabellius, & illius morbum doctrinæ rumor affingit* „ Et epist. 223. adv. Eust. „ *Etiamsi decepti, meque existimantes consortem esse eorum, qui conscripserunt illa Sabellii verba, quæ ab ipsis circumferuntur, ad accusandum me venissent, ne sic quidem venia digni essent, quod ante manifesta indicia protinus maledictis figant ac vulnerent homines nullius injuriæ reos, ne dicam arctissima amicitia conjunctos* „ Hinc epist. 224. ad Genethlium „ *Quod igitur neque hæc scripsimus*, inquit, *neque probavimus; sed & anathematizamus eos, qui pravam hanc tenent sententiam, hypostaseon confusionem, in qua maxime impia hæresis Sabellii renovata est, id quidem notum est Deo, qui corda cognoscit, notum & fraternitati omni, quæ meæ humilitatis periculum fecit. Imo etiam illi ipsi, qui me nunc vehementer incusant, suam ipsorum conscientiam perscrutentur, ac noscant, me a puero longe ab ejusmodi dogmatibus remotum fuisse.*

pleɑebatur, missis præterea ad aliquot ex amicis litteris, quibus, postulato de hæresi Apolinario, erroribusque illius in medium prolatis, faɑi sui rationem probare nitebatur pro eo, quod se a communione Basilii, tamquam hominis et Sabelliano morbo laborantis, et cum ejusmodi hæreticis communicantis, abduxisset. Et quidem tam atra calumnia, magno sonitu jaɑata, longe lateque pervagabatur. Quamobrem S. Meletius, re non sine horrore audita, mirari se significavit Basilio, quod id criminis Apolinario inferretur; multoque magis, ut verisimile est, quod tam indignis modis Eustathius Basilium laceraret. Reponit ei Basilius epist. 129. sibi etiam novum plane ac insolenter tunc accidere, quod hæresis Apolinarius accusaretur, quum nullam de eo querelam haɑenus acceperit; ac Sabelliana illa verba, quæ ex scripto quodam hæretico Apolinarii nomine vulgato Eustathius famosis illis in se litteris subjecerat, mittens, fatetur, quum sibi non persuadeat, Eustathium eousque sceleris processisse, ut scriptum illud sit commentus; coaɑum esse, Apolinarium, tamquam hominem (1) Sabellii morbo laborantem, condemnare.

(1) Basil. epist. 265. *Nonne illius* (Apolinarii) *de Deo sermones pleni sunt impiis dogmatibus, antiqua insulsi Sabellii impietate nunc ab eo in scriptis renovata? Nam si quæ circumferunt Sebasteni ficta non sunt ab inimicis, sed vere ipsius scripta sunt, nullum impietatis superandæ locum reliquit, eundem dicens Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & alias*

Meletio, Antiochiæ Episcopo, Basilius.

XXIV. *Sciebam, novum auribus præstantiæ tuæ visum iri, quod nunc infertur crimen proclivi ad omnia dicenda Apolinario. Nam nec ipse hactenus eum accusari noveram: sed nunc Sebasteni alicunda illa perscrutati, in medium protulere; ac scriptum, ex quo maxime nos etiam ut eadem sentientes condemnant, talia habens verba circumferunt:* Ὥστε πανταχῇ συνεζευγμένως, μᾶλλον δὲ ἡνωμένως τῇ ἑτερότητι νοεῖν ἀναγκαῖον τὴν πρώτην ταυτότητα, καὶ δευτέραν καὶ τρίτην λέγοντας τὴν αὐτήν· ὅπερ γάρ ἐστι πρώτως ὁ πατὴρ, τοῦτό ἐστι δευτέρως ὁ υἱὸς, καὶ τρίτως τὸ πνεῦμα· αὖθις δὲ, ὅπέρ ἐστι πρώτως τὸ πνεῦμα, τοῦτο δευτέρως τὸν υἱὸν, καθὸ δὴ καὶ ὁ κύριός ἐστι τὸ πνεῦμα· καὶ τρίτως τὸν πατέρα, καθὸ δὴ πνεῦμα ὁ Θεὸς· καὶ ὡς βιαιότερον σημα-

quasdam tenebricosas impietates, quas nos ne auribus quidem admisimus: quippe cum precemur, ut nullam partem cum iis, qui sic loquuntur, habeamus,,. Theodoretus quoque testatur lib. 4. *hæret. fabul.* cap. 8. Apolinarium in quibusdam libris suis personarum proprietates confudisse; atque idem in Trinitate præstitisse, quod in Incarnatione ausus fuit: ac proinde Sabellianismi accusatum esse. Ἐν ἐνίοις τοίνυν πάλιν οὗτος συγγράμμασιν, inquit, τὰς τῶν ὑποστάσεων συνέχεεν ἰδιότητας, καὶ ταὐτὸ δέδρακεν ἐπὶ τῆς Τριάδος, ὅπερ ἐπὶ τῆς οἰκονομίας ἐτόλμησεν· ὅθεν καὶ τὴν τοῦ Σαβελλισμοῦ κατηγορίαν ἐδέξατο.

σημᾶναι τὸ ἄῤῥητον, [1] τὸν πατέρα πατρικῶς υἱὸν εἶναι, τὸν δὲ υἱὸν υἱϊκῶς πατέρα, καὶ ὡσαύτως ἐπὶ τοῦ πνεύματος, καθὸ δὴ εἷς Θεὸς ἡ Τριάς. „ Quare „ ubique conjunctè, magis vero unite alietati in„ telligere necesse est primam identitatem; secun„ dam et tertiam eamdem dicentes. Quod enim „ primo est Pater, hoc est secundo Filius, et ter„ tio Spiritus. Rursus autem, quod primo est Spi„ ritus, hoc est secundo Filius, quatenus etiam Do„ minus est Spiritus; et tertio Pater, quatenus vide„ licet Spiritus est Deus. Et ut violentius significe„ tur res non enarrabilis; Pater paterne Filius est, „ Filius vero filialiter Pater, atque similiter de Spi„ ritu, quatenus sane unus Deus Trinitas est „. *Hæc sunt quæ divulgantur, quæ quidem nunquam possum credere, commenta esse circumferentium; quamvis ex eorum in nos calumnia nihil illos existimem non audere. Cum enim ad quosdam ex suis scriberent; postquam calumniam in nos effudere, hæc addiderunt, hæreticorum quidem verba esse asseverantes, scripti autem parentem tacentes, ut apud vulgus nos existimemur auctores esse. Sed tamen non eousque, ut verba comminiscerentur,* pro-

(1) Hunc Sabellianismum totidem verbi Apolinario impingit inter ceteros errores Timotheus presbyter Constantinopolitanus in libro de receptione hæreticorum apud Coteleriuin tom. 3. monum. Græc. pag. 395. Καὶ πάλιν (φησὶ) τὸν πατέρα πατρικῶς υἱὸν εἶναι, τὸν δὲ υἱὸν υἱϊκῶς πατέρα, καὶ ὡσαύτως ἐπὶ τοῦ πνεύματος· καθὸ δὴ εἷς θεὸς ἡ Τριάς.

processisset eorum astus , ut mihi quidem ipse persuadeo . Unde , ut et criminationem in nos invalescentem propulsaremus , et omnibus ostenderemus , nihil nobis cum his , qui hoc dicunt , commune esse ; coacti sumus , viri illius , ut ad Sabellii impietatem accedentis , mentionem facere .

XXV. Celeberrima hæc epistola , insigne illud Eustathianæ improbitatis et nequitiæ argumentum , caussa demum tot ægritudinum et vexationum Basilio ; ea est , quæ nunc primum ex membraneo Codice olim Emi Cardinalis Passionei , hodie autem Bibliothecæ Angelicæ Urbis , in lucem prodit . Mirum est , quanto artificio et solertia ad fidem tunc conciliandam sit contexta , et quam speciosis sanæ doctrinæ vocabulis Sabellianus error inspersus sit . Fingitur ergo Basilius quasi acceptis Apolinarii (quem fratrem discendi studiosissimum appellat) literis rescribere , eique primum quodammodo gratulari , quod , objectis de quibusdam dogmatibus egregie solutis , quibus alioquin quisquam male sanus ingentem perturbationem effecerit ; sartam tectam tueatur fidem suam . Consultus deinde , quem sensum habeat Consubstantialis vocabulum in rebus , ubi nec genus superpositum , nec subjecta aliqua materia , nec primi in secundum distributio cernitur ; et an vox *similis sine ullo discrimine* magis congruat , quum Pater et Filius veluti luces sint , quæ nullam habent secundum magis et minus differentiam , ideoque in propria substantiæ circumscriptione utraque consistit : mira ambiguitate respondet ,

det, non accidere in divinis, ut in humanis, substantiæ prolationem; sed Filium ex Patre ita procedere, ut alter in altero conjunctè et copulate permaneat. Mox petito ex ipso Apollinari exemplo, juxta Sabellium docet, quomodo tria in una Deitate unite consistant, eorumque proprietates vicissim agant. Tandem superius regressus, catholicis et hæreticis argumentis ostendit, quomodo uterque, Pater et Filius, genita atque ingenita ratione unum sit,

XXVI.

Βασίλειος Ἀπολιναρίῳ
Περὶ τῆς θείας οὐσίας.

α'. Ἐδεξάμην τὸ γνώρισμα τῆς πίστεως ἐν σοὶ θεωρήσας, ἀδελφὲ φιλομαθέστατε, ὅπερ ἐστι, μὴ μεθίστασθαι τῶν θείων δογμάτων ἕνεκεν τῶν ἀνθρωπίνων ζητημάτων· πολλὰ γὰρ ἂν τις περὶ τῶν οὕτω μεγάλων καὶ ἀπορήσειε καὶ διαστασιάσειεν, ἀλλ' οὐκ ἐξ ὧν ἡμεῖς ἀπορήσαιμεν. ἀμφίβολος τῆς θείας διδασκαλίας ἡ ἀλήθεια, ὥστε εἴπερ οὕτως ἐζήτουν καὶ πάντες ἄνθρωποι,

Basilius Apolinario
De Divina essentia.

1. Contemplatus in te, frater discendi amantissime, argumentum fidei tuæ inde sumpsi, quod a divinis dogmatibus propter humanas quæstiones non defeceris: multum enim de rebus adeo magnis quis ambegerit ac dissidium civerit, (1) quamvis nostra ei dubitatio ansam non præbuisset. (2) Ambigua profecto divinæ doctrinæ veritas, ita ut, si quidem omnes homines

ejusmodi quæstionibus se implicarent, lucrum exercitationis foret, nec religio quid detrimenti pateretur : qui vero ignorantia, qua laborant, (3) idiotismi aut mendacii arguunt sacras Litteras, tum se a pietate abduxerunt, tum alios, ut tute inquis, læserunt.

κέρδος ἂν ἦν τῆς γυμνασίας, καὶ οὐ ζημία περὶ τὴν εὐσέβειαν· οἱ δ' ἐξ ὧν ἀγνοοῦσι καταγινώσκοντες ἰδιωτείαν ἢ ψεῦδος τῶν θείων λογίων, ἑαυτούς τε τῆς εὐσεβείας ἀπήγαγον, καὶ τοὺς ἄλλους, ὡς καὶ σὺ φῂς, ἐλυμήναντο.

2. Quærebas autem, quænam *homoousii* sententia sit : quoniam ab illis (4) rejicitur prorsus, Filium consubstantialem esse Patri, prætexentibus quidem, se vocem tamquam peregrinam, neque in Scripturis obviam, refugere: (5) repugnantibus autem quasi contra rem impossibilem ; eaque ad eversionem afferentibus, unde occasionem cepisti interrogandi, Quomodo consubstantiale sit quod (6) nec commune

β'. Ἐζήτεις δὲ περὶ τοῦ ὁμοουσίου, τίνα τὴν διάνοιαν ἔχοι, ἐπείπερ ὑπ' ἐκείνων ἐκβάλλεται πάντη τὸ ὁμοούσιον εἶναι τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ, σχηματιζομένων μὲν, ὡς οὐ γεγραμμένην τὴν λέξιν ἀποφεύγειν· μαχομένων δὲ, ὡς ἀδυνάτῳ τῷ πράγματι, καὶ ταῦτα ἐπιφερόντων πρὸς ἀνατροπὴν, περὶ ὧν ἀκούσας ἐζήτεις, πῶς ἂν ὁμοούσιον εἴη τὸ μήτε ὑποκοινὸν γένος, μήτε ἐκ τινος ὕλης ὑποκειμένης μιᾶς, καὶ ἐφ' ὧν οὐκ ἐστι μερισμὸς τοῦ

προτέρου εἰς τὸ δεύτερον; Καὶ τὴν μὲν δύναμιν οὐκ ἐξέκλινας τοῦ ὁμοουσίου· οὐ γὰρ ἐτάραττες, διὰ τὸ μηδὲ ὡσαύτως ἔχειν τοῖς γεννητοῖς καὶ σωματικοῖς ὁμοουσίως τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱόν· ἔγραφες γοῦν, ὅπερ ἂν ἡ τοῦ πατρὸς οὐσία ληφθῇ, τοῦτο πάντως χρὴ λαμβάνεσθαι καὶ τὴν τοῦ υἱοῦ, γεννητὸν μόνον διάφορον παρὰ τὸ ἀγέννητον τιθείς.

genus habet superpositum, nec ex una aliqua subjecta existit materia, et ubi primi in secundum distributio non est? Ac vim quidem *homoousii* non deflexisti: neque enim ideo urgebas, quod non æque ut genita corporeaque consubstantiales sint Pater et Filius; sed censebas, quicquid Patris substantia sumatur, idem omnino et Filii substantiam sumi oportere, sola genitum inter et ingenitum differentia posita.

γ. Τὴν δὲ λέξιν ὤκνεις παραδέχεσθαι, ὡς δέον ἀπαραλλάκτως ὅμοιον εἶναι πρὸς τὸν πατέρα, φῶς τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν τιθείς, μηδεμίαν ἐν τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον διαφορὰν ἔχον, οὐ μὴν ὁμοούσια. διότι ἑκάτερον ἐν ἰδίᾳ περιγραφῇ τῆς οὐσίας ἐστίν. ὁ πατὴρ ἀρχή, ὁ υἱὸς ἀρ-

3. Cæterum vocem recipere gravabaris, quasi deceat, (7) Filium Patri omni discrimine remoto similem proferre: lumina ambo fingens, quæ nullam secundum magis et minus differentiam habeant; neque tamen consubstantialia, quia utrumque in propria substan-

tiæ determinatione consistit. (8) Principium Pater, principium Filius, qui ergo paterni principii consubstantialis est Filius? Attamen (9) primi in secundum distributio non accidit, quemadmodum in corporibus; verum generationis productio: neque enim Patris proprietas, qua pater est, in Filium divisa fuit; sed Filii proprietas ex paterna prodiit: idem in diversitate, et diversum in identitate cum utroque conjunctum et copulatum. Quod si idem diverse, et diversum eodem modo est, individue, ingenue, integre (10) Patris proprietas, in paterna permanens, in Filii proprietatem processit; ac sicut alicubi prudentiam politicam in œconomicam transire ajs, politica in specie manen-

χὴ· πῶς οὖν τῆς αὐτοῦ ἀρχῆς ὁμοούσιος ὁ ὑιὸς; οὐκοῦν οὔτε ἀπομερισμὸς προτέρου εἰς τὸ δεύτερον, ὥσπερ ἐπὶ σωμάτων, ἀλλὰ ἀπογέννησις· οὐδὲ γὰρ ἡ πατρὸς ἰδιότης, καθὸ πατὴρ, εἰς ὑιὸν ἀπομεμέρισαι, ἀλλ' ἡ τοῦ ὑιοῦ ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς ἐκπέφηνε· ταυτὸν ἐν ἑτερότητι, καὶ ἕτερον ἐν ταυτότητι ἑκατέρῳ σύμπλοκον καὶ ἑνωτικόν. Εἰ δὲ ταυτὸν ἑτέρως, καὶ ἕτερον ὡσάυτως, ἀμερίστως, γνησίως ὅλως προῆλθεν εἰς ὑιοῦ ἰδίωμα μετὰ τοῦ μένειν ἐν πατρὸς ἰδιώματι. ὡς που φρόνησιν εἴποις ἂν τὴν πολιτικὴν εἰς οἰκονομικὴν προϊέναι, μένουσαν ἐν εἴδει πολιτικῷ, τὸ δὲ ἐκ τῶν πολιτικῶν δίκαιόν τε καὶ καλὸν εἰς τὰ οἰκονομικὰ προάγουσαν· οὕτως ἄν τις, οἶμαι, κατὰ τὸ δυνατὸν εἰς ἔννοιαν περὶ τῆς ἁγίας Τριάδος ἀφίκοιτο, τρία

νοῶν ἀληθινῶς ἐν μιᾷ θεότητι, διὰ προόδου τε ἀμερίστου καὶ γνωρισμάτων, οὔτε ἀλλοτριούντων τὴν οὐσίαν, οὔτε ἀναιρούντων τὸ ταὐτὸν, [1] ὥστε πανταχῆ τὴν ταυτότητα συνεζευγμένως, μᾶλλον δὲ ἡνωμένως, τῇ ἑτερότητι νοεῖν ἀναγκαῖον, πρώτην ταυτότητα, καὶ δευτέραν, καὶ τρίτην λέγοντας· καὶ ὅπερ ἐστὶ πρώτως ὁ πατὴρ, τοῦτο εἰδέναι δευτέρως τὸν υἱὸν, καὶ τρίτως τὸ πνεῦμα· αὖθις δὲ, ὅπερ ἐστὶ τρίτως τὸ πνεῦμα, τοῦτο δευτέρως τὸν υἱὸν, καθὸ δὴ καὶ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστι, πρώτως δὲ τὸν πατέρα, καθὸ δὴ πνεῦμα ὁ Θεὸς· καὶ ὡς

tem, politicas autem proprietates, justitiam et bonitatem, ad œconomicas traducentem; ita quis, reor, de Sancta Triade pro captu sentiat, tria in una Divinitate vere intelligens tum per processum indivisum, tum per notas neque substantiam separantes, neque identitatem sustollentes: adeo ut ubique identitatem cum diversitate conjunctam, vel potius unitam, intelligere necesse sit, primam et alteram et tertiam identitatem profitentes; ac quod primo est Pater, hoc secundo Filium, et tertio Spiritum cognosce-

(1) In proxime relata ad Meletium epistola paullo aliter legitur locus iste. Utra autem lectio genuina sit, hariolari nescio. Hoc tantum scio, nonnullas parum sanas lectiones ex accuratis aliquot Codicibus in postrema Basilii editione Parisiensi restitutas optime cum nostro Libro consentire. Cæterum apud Basilium quidem Sabelliana impietas protervius expressa est, hîc autem solertius adumbrata: ubi retrogradum ordinem mihi magis placere fateor.

re. Rursum autem, quod tertio est Spiritus, hoc secundo Filium (11) (quandoquidem Dominus etiam est Spiritus) et primo Patrem, quoniam Spiritus est Deus, atque ut vehementius arcanum explicem, (12) Pater paterne Filius est, Filius autem filialiter Pater; itidemque de Spiritu, (13) siquidem unus Deus Trinitas est: licet sibi non persuadeant, idem tum genito esse ingenitum ratione ingenita et superiori, tum ingenito genitum genitive, Patrem proprie in se habendo, atque ipsum in patre existendo: quod quidem duobus unitatem exhibet, prout anteá dictum est. Ac duo secundum genitalem et ingenitam proprietatem existendo, diversum istud in unum coalescit ea, quæ cum

βιαιότερον σημᾶναι τὸ ἄῤ-
ῥητον, τὸν μὲν πατέρα πα-
τρικῶς υἱὸν εἶναι, τὸν δὲ
υἱὸν υἱϊκῶς πατέρα, καὶ
ὡσαύτως ἐπὶ τοῦ πνεύμα-
τος, καθὸ δὴ εἷς Θεὸς ἡ
Τριάς· ἐπεὶ μὴ πείθον-
ται, ταὐτὸν μὲν εἶναι τῷ
γεννητῷ τὸ ἀγέννητον ἀγεν-
νήτως καὶ ἀνωτέρως· ταὐ-
τὸν δὲ τῷ ἀγεννήτῳ τὸ
γεννητὸν γεννητῶς, τῷ τὸν
πατέρα ἰδίως ἔχειν ἐν ἑαυ-
τῷ, καὶ αὐτὸν εἶναι ἐν τῷ πα-
τρὶ, ὃ δὴ τοῖν δυοῖν ἑνότητι
παρίστησιν, ὡς προείρηται·
τῷ δύο μὲν εἶναι κατὰ τὴν
γεννητικὴν καὶ ἀγέννητον
ἰδιότητα, διάφορον τοῦτο
ἑνίζεσθαι τῇ συνούσῃ αὐτῷ
ἀσυνθέτως ἀδιαφορίᾳ,
τὴν μίαν ἰδέαν οὐ παραχα-
ραττούσῃ, ἀλλὰ θάτερον
ἐν θατέρῳ δεικνύσῃ· οὐχ
ὡς ἕτερον ἐν τῷ κοινῷ δε-
χομένους ἑνοειδῶς, οὔτε ἐν
τῷ ἰδίῳ κατὰ τὸν αὐτὸν
τρόπον (οὐ γὰρ ἐμπεριέ-

χεται τῷ κοινῷ τὸ ἴδιον) ἀλλ' ἑκάτερον, ὡς ἓν ἐκ τῆς ἀρχῆς ἐκπέφηνεν ὁ θεῖος λόγος.

ipso solute agit, indifferentia, unam speciem non adulterante, sed alterum in altero ostendente: non quasi diversum in communi recipientes unius speciei ratione, nec eodem in proprietate modo: (neque enim in communitate continetur proprietas;) sed utrumque, sicut unum ex principio prodiit divinum Verbum.

XXVII. Basilium hanc epistolam suo nomine ab Eustathio vulgatam non vidisse, sed tantum inaudisse, inde colligo, quod suspicetur, illam esse adulteratam, quam Athenis degens laicus, ad laicum Apolinarium amicæ salutationis caussa scripserat anno CCCLIV. exeunte. Inquit enim epistola 224. ad Genethlium „ *Sed dicturi sunt, communicatorem Apolinarii me esse, atque ejusmodi dogmatum pravitatem animo amplecti. Reposcantur ab eis argumenta. Nam si cor humanum scrutari sciunt, hoc ipsum profiteantur, et vos agnoscite, verum ab illis in omnibus dici. Sin autem ex rebus apertis et ante omnium oculos positis meam arguunt communionem, ostendant aut canonicas litteras a me ad ipsum missas, vel ab illo ad me; aut clericorum nobiscum commercia, aut quempiam eorum ad precum communionem an unquam admiserim. Quod si epistolam proferunt, ceterum ante annos viginti ad ipsum scriptam a laico ad laicum, et ne hanc quidem ut a me scripta est, sed adulteratam: a quibus autem, Deus scit* „. Et epistola 226. ad Mo-

Monachos suos „ *Propter alienos errores nemo nos condemnet, neque ante viginti annos scriptas a nobis epistolas proferat, ut demonstret, nunc communicatores nos esse eorum, qui ista scripserunt. Nos enim antequam hæc scriberent, laici ad lacos scripsimus, antequam vel suspicionem ejusmodi quisquam in illos moveret : nec de fide quidquam scripsimus, nec qualia illi nunc ad invidiam nobis creandam circumferunt; sed salutationes nudas, quæ amicam compellationem persolvebant. Nos enim pariter et eos, qui Sabellii morbo laborant, et eos, qui Arii dogmata tuentur, ut impios fugimus et anathematizamus* „. Et epistola 223. adversus Eustathium „ *Si mundani judices, cum facinorosum quempiam morti addicturi sunt, removent vela, et peritissimos quosque ad rei propositæ considerationem advocant, ac multum temporis insumunt, nunc quidem legis austeritatem intuentes, nunc autem naturæ communitatem reverentes; ac dum multum ingemiscunt et necessitatem deplorant, indicium omnibus faciunt, invitos se legi servire, neque ex libidine sua sententiam ferre damnantem : quanto rem majore diligentia ac sollicitudine, et cum pluribus deliberatione dignam existimare debet, qui se a fratrum amicitia longo tempore confirmata abrumpere meditatur? At una epistola, eaque ambigua. Neque enim dixerint, ex subscriptionis signis eam sibi cognitam esse; qui profecto non eam, quæ primo scripta est, sed exemplum in manus acceperunt. Ex epistola igitur una, eaque vetusta: anni enim sunt*

ha-

hactenus viginti, ex quo aliquid ad virum illum scriptum est. Interjecto autem illo tempore, talem sententiæ meæ ac vitæ testem habeo neminem, quales qui nunc in me invehuntur accusatores „. Denique epistola 131. ad Olympium sic concludit „ *Noveris igitur, frater, et quisquis veritatis amator, nec mea esse scripta, nec mihi probari: siquidem non ex mea sententia composita fuere. Quod si scripsi aliquando ante annos multos ad Apolinarium aut ad aliquem alium, accusari non debeo. Nam nec ipse accuso, siquis ex sodalitio aliquo in hæresim abscissus est (omnino autem homines novistis, tametsi nominatim non appello) quia unusquisque suo ipsius peccato morietur* „.

XXVIII. Ex eo autem, quod inquit epistola 244. ad Patrophilum, non meminisse, librum de Spiritu Sancto aut petere, aut missum accipere ab Apolinario, videri potest, alias a Sebastenis litteras, ad communionem illam majoribus argumentis comprobandam, evulgatas esse, in quibus ea Basilii petitio legeretur. Et quidem in quarta ex illis, (1) quas edidit Cotelerius tom. 2. *Monum. Eccl. Græc.* pag. 91. scripta, ut videtur, in Pontico Basilii itinere post festum S.Eupsychii anno CCCLXXV. nuntiat Basilio Apolinarius, advenisse Ægypti episcopos, et librum de Spiritu Sancto allatum esse. Præterea sanctus Ephræm Antiochenus apud Photium Cod. 228. pag. 802. ed. Rothom. citat S. Basilii epistolam ad Apolinarium, ut probet veritatem dua-

(1) De eis vide ipsum editorem ibidem pag. 661.

duarum in una persona naturarum; quæ a nostra et quatuor illis Cotelerianis, nihil adversus Eutychianos suppeditantibus, distingui debet. cæterum perinde atque istæ spuria est: quoniam numquam Basilius ad Apolinarium de rebus dogmaticis scripsit, ut ipsum testantem supra audivimus.

XXIX. Prior ex quatuor Cotelerianis cum hac nostra collata (nam eadem de re agit) magnum edit hæreticæ temeritatis argumentum: etenim ex diametro sunt oppositæ, et fortasse, ni fallor, ab ista illa de industria expressa est cum responsione sua: siquidem in ipsa Basilius honorificentissime Apolinarium habens, fatetur, coactum esse in rebus multo quam antea gravioribus ad eum, ut scientia accuratum, ita accessu facilem, confugere, cum nemo alius inter illius ævi homines existat ejusmudi consors et auxiliator. Hinc consulens de usiæ vocabulo, quod perturbatores pacis velut alienum a sacris Litteris ejicere ait, orat Apolinarium, ut significare sibi dignetur, quomodo Patres eo usi fuerint, et an nullibi in sacris Paginis usurpatum illud invenerit. Deinde obsecrat, ut disceptare fusius sibi velit, quem sensum habeat consubstantialis vox, et quomodo salubriter proferatur in rebus, in quibus nec genus commune superpositum cernitur, nec materiale subjectum prius existens, nec distributio primi in secundum: cum ipse existimet, quod ex hypothesi Patris substantia esse sumitur, hoc omnino et substantiam Filii sumi debere: ut siquis substantiam Patris appellaverit lumen intel-

telligibile, æternum, ingenitum; Unigeniti quoque substantiam vocaturus sit lumen intelligibile, æternum, genitum. In quem sensum vocem *similis sine discrimine* magis conguere, quam *consubstantialis*, sibi videri fatetur: quandoquidem lux, quæ cum luce nullam habet secundum magis et minus differentiam, recte quidem sententia sua dici posse ait, non eandem esse cum illa, quod in propria substantiæ determinatione utraque consistat; sed similem secundum substantiam absolute ac per omnia. Quæ quidem Semi-Arianorum sententia est.

XXX. Sed ad Eustathium redeamus. Præter famosos libellos, quibus Basilii famam dirum in modum laceraverat homo nequam, occultis etiam machinationibus lædere illum conabatur. Jamdudum qui de Filio perperam sentiebat Arianus, ducem se præbuerat Pneumatomachis, qui non ita pridem infensissimum erga Basilium gerebant animum. Hi igitur excitati a signifero suo atque incensi, vehementer in Basilium insurrexerunt die festo S.Eupsychii sept. Id. Septemb. ejusdem anni CCCLXXIII. eo quod in precibus Spiritum Sanctum cum Patre et Filio glorificaverat; atque ita sese ab eo absciderunt, ut inde rumor exoriretur ac perturbatio, compluribus ad aulam confugientibus. Et sane tanta ei fidelibusque negotia per totum insequentem annum facesserunt, ut *omnium fere ordinum multitudo, quam recensere est arduum*, inquit Ammianus lib. 29. cap. 1. 2. *in plagas calumniarum*

conjecta, *percussorum dextras fatigaverit*. Basilius tandem hinc calumniis, quas disseminabat, illinc hæreticis, quos acuebat, Eustathius, graviter afflictus, gravissimum in morbum incidit æstate ejusdem anni CCCLXXIV. „ *A die Paschæ usque ad hunc diem*, inquit epist. 162. *febres*, *ventris resolutiones*, *et viscerum commotiones*, *sicut fluctus me immergentes*, *emergere non sinunt* „ qui deinde morbus quotannis fere æstate adventante recrudit usque ad extremum vitæ.

XXXI. Hactenus Basilius, licet maximis injuriis ab Eustathio provocatus, tacebat, quod illum, quem ignorantia magis veritatis, quam malitia peccasse credebat, opprobria recantare speraret. Sed tandem cum videret, Eustathium potius quam se iniquitatum suarum pœnitere, in id totum incumbere, ut vitam ejus affligeret, atque existimationem apud fratres artificiis suis contaminaret: multos præterea silentium suum ad calumniarum confirmationem accipere, nec se patientia adductum silere existimare; verum quod contra veritatem non posset hiscere; innocentiam suam et adversariorum improbitatem in clarissima luce omniumque oculis ponere coactus fuit. Silentii igitur rumpendi tempus esse animadvertens, scripsit adversus Eustathium epistolam 223. et ad plurimas ecclesias misit, in qua suæ cum illo conjunctionis originem repetebat, violata amicitiæ jura querebatur, fictas et inanes inimicitiæ caussas refellebat, denique certissimam hujus rei rationem esse

esse demonstrabat, studium gratiæ apud hæreticos ineundæ, et potentioribus Arianis placendi. Hinc etiam epistola 226. ad monachos suos „ *At non ea revera est dissidii caussa*, inquit, *quod ad Apolinarium scripsimus; sed quia existimarunt, tum demum se Euzoio probatum iri, si ipsi se a nobis abalienarent* „.

XXXII. Ubi Eustathius rescivit, Basilium communi adversum se epistola innocentiam suam apud vulgus probasse; tum enimvero incensus ira omnem lapidem movit, ut eum angeret. Scripsit Vicario Demostheni, et horrenda in illum crimina flagitiosissime intendit. Inde Cyzicum ad Arianorum concilium se contulit, ibique hæreticam formulam recepit, quæ *consubstantiale* condemnabat, et orthodoxos *homoousiastas* appellabat. Hinc Basilius epist. 226. *Hi nunc*, inquit, *et de Nicæna detrahunt fide, nosque vocant homoousiastas, quia in illa fide unigenitum Filium Deo et Patri homoousion confitemur* „ Interim Demosthenes, *obesus ille cetus et hæresis defensor*, dire Cappadociam catholicam affligere cœpit. Bis venit Cæsaream anno CCCLXXV. primum quidem ut gubernacula Diœcesis suæ capesseret, deinde ut sui in catholicos odii specimen ederet. Unde ait Basilius epist. 237. ad Eusebium: *Rursus ad nos accessit, iram cædemque spirans*. Inter prima illius gesta recensetur *concilium impiorum*, quos media hieme Ancyram convocavit. Interfuit huic concilio Eustathius, ac tandem ex dissimulationis involucris in

apertam cum Arianis conjunctionem erupit (prius enim in domibus tantum cum illis communicaverat). In illa autem Synodo, pro sua apud Vicarium gratia auctoritateque, maximam partem eorum, quæ nefarie acta sunt, sustinere non dubitavit.

XXXIII. Eo Eustathii facinore non valde obstupuit Basilius, qui dudum hominem non nævo aliquo, sed toto corpore noverat. At uberrimam materiam habuit illius nequitiæ omnium oculis manibusque subjiciendæ. Quod egregie præstitit epistola supra laudata ad Monachos suos. Declarat se post trium annorum silentium ad defensionem suam assurgere compulsum esse; sed ita veritatem splendere, ut etiamsi ipse taceret, nemo tamen posset ignorare, modo æstimaret actiones Eustathii, qui cum antea tam vehemens fuisset in oppugnandis Arianis, nuper animi sui sententiam nudaverat, cum illis Ancyræ communicans.

XXXIV. Post concilium Ancyranum Demosthenes, rebus militaribus paullisper distentus, venit rursus Cæsaream. Inde Sebastiam profectus, omnes Basilii communicatores curiæ addixit, Eustathii vero amicos maximis honoribus fovit. Postea Galatarum et Ponticorum Synodum Nyssæ jussit celebrari, in qua quidem operam ei navavit Eustathius; atque Anysio Ecdicioque Parnasseno dominantibus, Gregorius episcopus, Basilii frater, depositus fuit.

XXXV. Cæterum Eustathius, præter ea, quæ hacte-

hactenus in Basilium molitus fuerat, recentiori adhuc astu cum per se ipse, tum per emissarios suos persuadere Evæsenis conatus est, ordinem sanctæ Trinitatis a Basilio immutari, et Spiritum Patri Filioque præponi; sed frustra. Itaque Basilius eos laudat epistola 251. quod præclare animadverterint iniquitatem et inconstantiam Eustathii, qui quum Nicænæ fidei subscripsisset Romæ, tunc sibi tam atrox bellum inferebat eo quod, ejus petitu, eidem formulæ iterum subscripsisset. Fatetur, humilem se esse et parvum; sed minime inconstantem, nec aliam apud se esse fidem Seleuciæ, aliam Constantinopoli, aliam Zelis, aliam Lampsaci, aliam Romæ; multoque minus novam tunc circumferri, a prioribus diversam.

XXXVI. Cum Dorotheus et Sanctissimus presbyteri anno Salutis CCCLXXVI. in Occidentem ob Orientalis ecclesiæ calamitates missi essent; nec inde quisquam ad Orientis vulnera sananda accedere videretur, quamvis maturum auxilium Occidentales polliciti essent; nova opus erat legatione, ac novis episcoporum subscriptionibus, quarum colligendarum caussa videtur Sanctissimus Orientem peragrasse. Igitur profecti sunt iterum ambo illi in Occidentem anno CCCLXXVII. vergente, epistolam Orientalium nomine a Basilio conscriptam deferentes, qua rogabant, ut aliquando tandem mitteretur, qui Orientem inviseret; vel saltem censuræ ab Occidente venirent in perturbationis auctores, si in pravis novitatibus vel-

lent perseverare. Hos inter duo nominatim designabantur, Apollinaris et Eustathius, cujus turpes vicissitudines et præsentia scelera notabantur. Scire avebant Orientales, quibus olim conditionibus a Liberio susceptus esset; atque hæc postremo addebatur caussa, cur ad eum reprimendum deberent Occidentales auctoritatem suam adhibere, quod unde acceperat fiduciam ad subversionem multorum, inde æquum esset emendationem venire. Ex qua legatione Damasus Papa, convocato Romæ nonaginta trium episcoporum concilio anno CCCLXXVIII. ineunte, auditisque totius Orientalis ecclesiæ catholicæ querelis super perturbatorum impietate, anathema tandem pronunciavit in Eustathium Sebastenum, et Apolinarium Laodicenum, cujus doctissimi alioquin viri, sanctissimisque præsulibus antea charissimi, vesanos errores perstringit Basilius epistola 265. ad confessores Ægyptios in Palestina exulantes.

* * * * * *

ANI-

ANIMADVERSIONES

IN EPISTOLAM.

1. Q*Uamvis nostra ei dubitatio anſam non præbuiſſet* .) En primum Euſtathianæ verſutiæ argumentum ! Ut frequentem Baſilii communionem cum Apolinario, mutuam de dogmatibus conſultationem, et Baſilianam inconſtantiam in rebus fidei Lectorum animis infundat, Baſilium inducit veluti ſcribentem Apolinario, quod, etiamſi in aliquibus dogmatibus aqua ſibi hærere videatur, non ita tamen inde occaſionem arripere poſſet aliquis turbulentus animus ad omnia permiſcenda, ut facile ex iis quæſtionibus, quas ipſe cum objectis ſolutas ſibi miſerat; ideoque tacite illius pietatem collaudat, quod integram ſervet fidem ſuam, nec a philoſophicis quæſtionibus objectiſque, quantumvis implicitis et validis, eam labefactari patiatur. Verum Baſilius conceptis verbis profitetur epiſtola 223. pravas de Deo opiniones nunquam imbibiſſe, ſed hauſta illa ab incunabulis documenta cum adoleſcente ratione perfeciſſe.

2. *Ambigua profecto divinæ doctrinæ veritas*.) Gravius ſumit loquendi genus, et inquit „ Eſto, implexiſſimæ ſint eæ de dogmatibus quæſtiones

 „ atque

„ atque explicatu difficillimæ, non propterea ortho-„ doxa fides læsionibus obnoxia est. In ambiguo „ enim est Christianæ veritatis doctrina, ita ut, se-„ posita sacra illa atque intemeranda sententia, fal-„ lere nescia; cetero possis arbitratu tuo quamvis „ quæstionem movere, in iisque vel emolumento te „ exercere, etiamsi religio nihil detrimenti capiat „.

3. *Idiotismi aut mendacii arguunt sacras Litteras.*) Nunquam ejusmodi homines defuerunt, qui aut odio in Christianam religionem ducti, aut ignorantia decepti, dicere ausi sunt, sacros Codices sæpe mentiri et absurda obtrudere, sæpius sibi repugnare, sæpissime barbarismos loqui.

4. *Rejicitur prorsus, Filium consubstantialem esse Patri, prætexentibus.*) Celeberrima illa οὐσίας vox, arcanorum sacrosanctæ Trinitatis dogmatum velut tessera, quot bella utrinque commissa sustinere debuerit, antequam inneffabilis mysterii columna sanciretur, priorum sæculorum ecclesiastica historia enuntiat.

Philosophi quidem singularem individuamque substantiam definiunt usiam: sic enim loquitur illorum princeps Categoriarum libro, cap. 5. Οὐσία δέ ἐϛιν, ἡ κυριώτατά τε καὶ πρώτως, καὶ μάλιϛα λεγομένη, ἣ μήτε καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται, μήτε ἐν ὑποκειμένῳ τινί ἐϛιν· οἷον ὁ τὶς ἄνθρωπος, καὶ ὁ τὶς ἵππος. *Substantia autem, quæ maxime proprie, et primum, et præcipue ita vocatur, ea est, quæ neque de subjecto aliquo dicitur, neque aliquo in subjecto inest: ut quidam homo, qui-*

quidam equus. Catholici vero, licet mutuo ab illis acceperint vocabulum, communem individuis substantiam appellant.

Id nominis, perinde ac φύσεως, ut a Deo ablegarent, hæreticos quidem omneis, quod nusquam in sacris Litteris occurrat; catholicorum autem complures duplex caussa, impulit, nimirum tum majestatis excellentia, quod supra οὐσίαν Deus sit. (1) Nazianzeno et (2) Damasceno testantibus, tum accidentia, quibus subjecta videtur vox. Sed Cyrillus Alexand. quoniam τὸ ὄν de Deo dicitur, imo tamquam proprium ac substantiale sibi nomen attribuit *Exodi tertio*, *ver.* 14. merito οὐσίας vocem, quæ inde deflexa est, et Hebraicis יהוה, אהיה et יה respondet, eidem adjudicari contendit *Dial.* I. *de Trinit. pag.* 392. *b. tom.* 5. Nihil enim prohibet, quo minus ipsum per se vocabulum ab omni fæce ita purum, ut nullam in eo derivationem mutationemque ex accidentium vicissitudine, sed nudam rei existentiam, intelligamus, Deo congruat. τῆς φύσεως potius nomen Deo attribuendum negarem, quia ex eo, quod est φύεσθαι, *nasci*, deflexum est; et, auctore Euthymio *in Panopl. par.* I. *tit.* 2. etiam de iis, quæ non consistunt, secus atque οὐσία, ponitur: ut cum e. g. dicimus, talem esse mendacii φύσιν, *naturam*. Attribuitur tamen Deo ab Greg. (3) Nazianzeno, et Nysseno passim, (4) Atha-

(1) Orat. 12. pag. 198. b. ed. Par. (2) Lib. 1. cap. 8. ed. Par.
(3) Orat. 32. pag. 520. a. ed. Colon.
(4) Lib. de Incarn. tom. 1. pag. 75. d. ed. Patav.

Athanasio, (1) Basilio, aliisque bene multis.

Cæterum duæ sunt usitatæ τῆς φύσεως notiones, una ut sit idem cum ὀσίᾳ, sicut apud Latinos *natura* et *essentia*, quo modo frequenter usurpatur vox; altera ut sit quod reipsa, nec opinione aut specie, extat. Hisce adnectitur et tertia, licet καταχρηστικῶς, qua φύσις pro ὑποςάσει, *persona*, sumitur, puta a Cyrillo cum (2) alibi, tum *in epist.* 1. *ad Successum* hisce verbis, tantarum caussâ contentionum: Ἀλλ' ἕνα φαμὲν ὑὸν, καὶ, ὡς οἱ πατέρες εἰρήκασι, μίαν φύσιν τῦ Θεῦ Λόγυ σεσαρκωμένην. *Sed unum dicimus Filium, et, ut Patres locuti sunt. unam Dei Verbi incarnatam* φύσιν *personam*.

Individua τῆς ὀσίας comes, ὑπόςασις illa vox est, quæ præcipue ab ipsa distincta, communem nec circumscriptam naturam essentiamque quibusdam cum proprietatibus certa in re declarat ac definit. Damascenus autem *in Dialecticæ capite* 42. duas voci ὑπόςασις subjectas notiones refert: ποτὲ μὲν τὴν ἁπλῶς ὕπαρξιν ..... ποτὲ δὲ τὴν καθ' αὑτὸ καὶ ἰδιοσύςατον ὕπαρξιν, καθ' ὃ σημαινόμενον τὸ ἄτομον δηλοῖ, τῷ ἀριθμῷ διαφέρον. *Modo simplicem existentiam ..... interdum extantiam illam, quæ per se est, et proximam habet consistendi rationem*. quo intellectu individuum numero differens designat. Et *de natura composita pag.* 524-25. *tom.*

(1) Lib. 1. in Eunom. pag. 220. a. ed. Par.

(2) Lib. 3. contra Nestor. cap. 6. & in Dial. 2. de Trinit.

tom. I. *ed. Par.* ποτὲ μὲν τὴν ἁπλῶς ὕπαρξιν δηλοῖ, καθ' ὃ σημαινόμενον ἐ μόνον τὴν ἁπλῶς ἐσίαν σημαίνει, ἀλλὰ καὶ τὸ συμβεβηκὸς· ποτὲ δὲ τὸ ἄτομον, ἤτοι τὸ πρόσωπον· ἥτις καθ' αὐτὸ λέγεται ὑπόςασις, ἥτις δηλοῖ Πέτρον, Παῦλον, τόνδε τὸν ἵππον, καὶ τὰ τοιαῦτα. *Quandoque simplicem existentiam significat; atque hoc sensu non essentiam modo simpliciter dictam, sed et ipsummet accidens designat: aliquando individuum, sive personam, notat. quæ quidem seorsum sumta, hypostasis dicitur, ut Petrus, Paulus, hic equus, et similia.* Itaque usia quidem, quod aliquid commune est, absolutum quiddam in Deo significat; hypostasis autem, relativum, vel individuum, aut singulare communi subjectum. Quod discrimen accurate Basilius compluribus in locis defendit, atque ejus ea est opinionis summa, quam deinceps omneis amplexi sunt, hoc inter ἐσίαν et ὑπόςασιν interesse, quod usia generale quiddam et commune sit, minimeque definitum, ut est homo universe pro specie sumtus; hypostasis proprium aliquid singulare ac definitum, quod ex communi illo, et peculiaribus cujusque notis proprietatibusque veluti componitur: qualia sunt, quæ ἄτομα dicuntur primæ et individuæ substantiæ, ut Socrates, Plato: qui, præter communem cum ceteris essentiam, certas habent qualitates proprietatesque, quibus ab aliis differunt.

Utrumque vocabulum, alterum licet altero usitatius,

tatius, promiscue usurparunt antiqui Patres, qui potissimum Nicænam Synodum præcesserunt. Apostolus imprimis, ad Hebræos scribens, *ὑπόστασιν* pro *οὐσίᾳ* posuit *cap.* 1. *vers.* 3. *ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως*, *splendorem gloriæ, et characterem substantiæ* paternæ appellans Christum. In quem locum Esthius *tom.* 2. *pag.* 904. aliique, eo argumento persuadent, *ὑπόστασιν* a Paullo appellari substantiam, quod Apostoli ævo nihil dum aliud *ὑπόστασις* significaret, quam essentiam. Immo (1) Hieronymus testatur, *ὑπόστασιν* communi usu nil tunc ab *οὐσίᾳ* differre „ *Tota, inquit, sæcularium literarum schola nihil aliud hypostasim, nisi usiam, novit* „. Sic (2) Irenæus, sic (3) Origenes, et, quod præcipuum est, ipsi Nicæni Patres, qui de industria studiosissima; ob promiscuum utriusque vocis in eodem intellectu usum, ne quis in voculis contentiose fucum deinceps faceret, utramque eodem sensu in fidei expositione posuerunt, (4) pronuntiantes: *Τοὺς δὲ λέγοντας, ἦν ποτὲ, ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν. καὶ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας οὐσίας ἢ ὑποστάσεως, τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ*

καὶ

(1) Epist. 15. ad Damasum tom. 1. pag. 39. ed. Veron.
(2) Lib. 5. cap. 36. tom. 1. pag. 330. ed. Venet.
(3) Philocal. cap. 1. pag. 50. Vide tamen Huetium Origenian. lib. 2. pag. 116. & Bullum pag. 344. ad calcem tom. 4. operum Orig. Paris.
(4) In corpore Concilior. Harduini tom. 1. cap. 26. pag. 422.

καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία. *Qui dicunt, Erat aliquando, quando non erat, quodque ex non extantibus factus est, aut ex alia usia vel hypostasi, hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia.* Unde Marcellus Ancyranus aliique Sabellianæ hæresis fautores ansam trahebant ad blasphemiæ suæ defensionem. Volebant enim hypostasin ibi a Patribus pro persona esse positam.

Basilius autem, ut erat accerrimus trium hypostaseon defensor, negabat constanter, voces ὑπόστασιν et οὐσίαν, ἐκ παραλλήλου, et tamquam idem significantes, adhibitas esse: εἰ γὰρ, inquiens *epist.* 125. *μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἐδήλουν ἔννοιαν αἱ φωναὶ, τίς χρεία ἦν ἑκατέρων; ἀλλὰ δῆλον, ὅτι, ὡς τῶν μὲν ἀρνουμένων τὸ ἐκ τῆς οὐσίας εἶναι τοῦ πατρὸς· τῶν δὲ λεγόντων, οὔτε ἐκ τῆς οὐσίας, ἀλλ' ἐξ ἄλλης τινὸς ὑποστάσεως· οὕτως ἀμφότερα, ὡς ἀλλότρια τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ φρονήματος, ἀπηγόρευσαν. Etenim si una eademque notio subjecta vocibus, quid opus erat utraque? Sed perspicuum est, aliis quidem Filium ex Patris essentia esse negantibus, aliis vero neque ex substantia esse, sed ex aliqua alia hypostasi dicentibus; utramque illos opinionem, tamquam a sententia ecclesiastica alienam, ita demum rejecisse.* Sed infirmo mehercule argumento nititur Basilius. Nihil enim, præter alia, vetat, eandem sententiam diversis verbis confirmari; imo recte egit sanctissima Synodus ad ambiguitatem submovendam, cui vox ὑπόστασις obnoxia est. Levissimus tamen hic Basilii

nævus

nævus, nec caussæ summam attingit, quæ tota vertebatur hoc cardine, utrum Nicæni præsules unam in tribus personis hypostasin admisissent; atque in eo certe Synodi mentem accuratissime perspexit, quod tres ab ea hypostases sublatas negaverit.

Porro ipsi etiam trium hypostateon defensores sæpe ὑπόστασιν pro οὐσίᾳ sumunt, ut Gregorius Nazianzenus (cujus summa extitit cum Basilio in tribus hypostasibus defendendis consensio) *in Orat.* 34. *pag.* 542. *b.* ubi de Deo ejusque attributis sic loquitur: Τὶ γάρ ὄντι αὐτῷ κατὰ τὴν φύσιν καὶ τὴν ὑπόστασιν ὑπάρχει τὸ μὴ ἀρχὴν ἔχειν, μηδὲ ἐξίστασθαι, μηδὲ περατοῦσθαι· ἀλλ᾽ ὅλον τὸ εἶναι ἐπιλαμβάνειν λείπεται προσφιλοσοφεῖν τε καὶ προσεξετάζειν. *Quid enim secundum naturam et hypostasin* substantiamve *sit revera ei nec principium habere, nec a se unquam desciscere, nec fine ullo circumscribi ac definiri; sed quicquid in rerum natura est, ambitu suo complecti et coercere, id philosophandum inquirendumque relinquitur*. Cyrillus Hierosolymitanus (quem cum S. Meleстio aliisque trium hypostasium defensoribus conjunctissimum fuisse constat) *Catech.* 6. *n.* 5. ἀκατάληπτός ἐστιν ἡ ὑπόστασις ἡ θεία, *incomprensibilis est divina essentia*, et *Catech.* 16. *n.* 24. de Spiritu disserens, φύσιν δὲ, ait, ἢ ὑπόστασιν μὴ πολυπραγμόνει, *naturam autem vel substantiam ne sollicite inquirito*. Atque Epiphanius *hæres.* 74. *pag.* 891. *c.* sanctissimam Trinitatem μίαν

Θεό-

θεότητα esse dicens τῆς αὐτῆς δυνάμεως, τῆς αὐτῆς ὑποστάσεως, *unam divinitatem ejusdem virtutis, ejusdem substantiæ*. qui tamen sentiebat, τρεῖς ἀναγκαῖον εἶναι τὰς ὑποστάσεις ὁμολογεῖν, *necesse esse, tres hypostases*, sive personas, *confiteri*.

Cæterum quamvis essentia id sit, quod tribus personis commune est; hypostasis autem, quod proprium; sæpe tamen essentiæ nomine hypostasis comprehenditur. Quocirca sicut Patres, etsi essentiam pro hypostasi personave aliquando sumunt, non idcirco tres essentias admittunt; ita ex eo, quod hypostasin haud raro sumant pro essentia, non sequitur, unam ab illis hypostasin, sive personam, admitti.

In Concilio, quod Osius, Cordubensis episcopus, Alexandriæ ex Imperatoris Constantini mandato coëgit anno CCCXX. inter utrumque nomen distingui cœpit, ut novo istorum vocabulorum usu novæ haereses expugnarentur. Sed ea distinctione alteri contentioni materia suppeditata est: inde enim natum Antiochenum schisma, quod alii unicam et singularem hypostasin, tres alii in Deo profiterentur, teste Basilio *epist.* 214. *ad Terentium*. Dissidium, quod Nicæna Synodo sedatum videbatur, ita instauratum fuit circa annum CCCLX. *ut periculum esset, ne orbis terrarum fines una cum syllabis abrumperentur*, inquit Nazianzenus *Orat.* 21. *de laudibus Sancti Athanasii*: ubi totius dissensionis caussam hanc præmittit *pag.* 395 - 96.

Τῆς

Τῆς γὰρ μιᾶς ἐσίας, ϗ τῶν τριῶν ὑποςάσεων λεγομένων μὲν ὑφ' ἡμῶν εὐσεβῶς (τὸ μὲν γὰρ τὴν φύσιν δηλοῖ τῆς θεότητος· τὸ δὲ τὰς τῶν τριῶν ἰδιότητας) νοεμένων δὲ ϗ παρὰ τοῖς Ἰταλοῖς ὁμοίως, ἀλλ' ἐ δυναμένοις διὰ ςενότητα τῆς παρ' αὐτοῖς γλώττης ϗ ὀνομάτων πενίαν διελεῖν ἀπὸ τῆς ἐσίας τὴν ὑπόςασιν, ϗ διὰ τῦτο ἀντεισαγέσης τὰ πρόσωπα· ἵνα μὴ τρεῖς ἐσίαι παραδεχθῶσι, τί γίνεται; ὡς λίαν γελοῖον ἢ ἐλεεινόν· πίςεως ἔδοξε διαφορὰ, ἡ περὶ τὸν ἦχον μικρολογία. *Cum enim essentia una et tres hypostates a nobis pie dicerentur (quod alterum divinitatis naturam, alterum trium personarum proprietates declarat) atque eodem quidem modo apud Romanos intelligerentur, ceterum ob linguæ illius angustiam et verborum inopiam hypostasin ab usia distinguere non possent, eoque factum esset, ut pro ea, ne tres substantias admittere viderentur, personarum vocabulum inducerent, quid tandem contigit? Res profecto ridicula, vel potius miseranda! Diversæ fidei specimen præbuit levis illa et jejuna de vocum sono altercatio.* Atqui non ita res habet, quod adeo (1) inops sit Romana lingua, ut nulla satis idonea vocabula potuerit suppeditare, quibus usia et hypostasis distin-

(1) Verissimum alioqui esse, sed respectu Græcæ, vel ipsissimi magni nominis Latini fateri coguntur, ut Lucretius lib. 1. vers. 140. & vers. 832. illo hemist. *Patrii sermonis egestas*, quod iterat lib. 3. vers. 261.

stinguerentur. An non recte οὐσίαν, *essentiam substantiamve*, ὑπόστασιν, *subsistentiam* Latini reddiderunt· quamquam Richardus Victorinus *lib.* 4. *de Trinit. cap.* 4. minus probet, tres dici subsistentias et unam substantiam; malitque tres personas prædicari. At sive subsistentias, sive personas tres proferre libet, non minus apte id Romanus facit, quam Græcus suas ὑποστάσεις efferens.

Certe προσώπου nomen, quod Latinorum *personæ* respondere videtur, particularem, individuam, nec pluribus communem aut per sese subsistentem rem, indicat; neque, ut ὑπόστασις, pro natura essentiave sumitur aliquando. Designat insuper, sicut etiam Romanorum *persona*, quandam proprietatum vel qualitatum animi corporisque; nec non rerum externarum, velut fortunarum, patriæ, generis, complexionem: cujusmodi attributa et circumstantiæ sunt, quibus unus aliquis homo ab quovis alio discernitur; quo sensu si vocabulum sumatur, licet eidem homini plures vicissim personas suscipere, cum eadem sit illius tum hypostasis, tum natura. In quo Sabelliani quondam calumniandi latebram invenerunt, qui quum unam prorsus singularemque divinitatis usiam et hypostasin esse vellent; tamen προσώπων varietatem assumi nonnunquam ab illo sentiebant, ut est apud Basilium *epist.* 214. *et* 236. Quocirca vis et notio τῆς ὑποστάσεως ad πρόσωπον adjuncta, plenam absolutamque divinarum personarum significationem continet, quum aut ἐνυπόστατα vel ὑφεστῶτα πρόσωπα, *subsistentes*

personæ, dicantur ; aut προσωπικαὶ ὑποςάσεις, *personales hypostases*, atque id genus. Tandem, quamvis ὑπόςασις et πρόσωπον ex communi Theologorum usu idem reipsa significant ; ratione tamen mire distant. Nam ὑπόςασις quidem, res est per se existens ac substantiva, ex essentia et proprietatibus constans: πρόσωπον autem, eadem ὑπόςασις, quae per actiones et proprietates suas manifestum et distinctum ab aliis ejusdem naturæ consortibus præbet indicium sui.

Cæterum ea, quam S. Athanasius in Concilio Alexandrino, anno CCCLXII. nonnihil compescerat, controversia, ambabus partibus de vocum sententia quæsitis, eoque decreto conciliatis, ut ὑπόςασις perinde atque ὀσία significaret, ut in (1) Nicæna Synodo factum fuit ; sub Damasi pontificatu vehementius exarsit. Quamobrem S. (2) Hieronymus, datis ad ipsum Damasum litteris, ita concludit: *Sufficiat nobis dicere, unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres hypostases, si placet, et una teneatur. Non bonæ suspicionis est, cum in eodem sensu verba dissentiunt. Aut si rectum putetis, tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus. Sed, mihi credite, venenum sub melle latet. Transfiguravit se angelus satanæ in angelum lucis. Bene interpretantur hypostasim ; et cum*

(1) Consule Athanas. ad Antioch. tom. 1. part. 2. pag. 773. ed Par.
(2) Tom. 1. pag. 39. d. ed. Veron.

eum id, quod ipsi exponunt, habere me dicam, hæreticus judicor. Quid tam anxie unum verbum tenent? Quid sub ambiguo sermone latitant? Si sic credunt, ut ipsi sentire se simulant, permittant et mihi meis verbis sensum suum loqui. Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam per crucifixam mundi salutem, per homousion Trinitatem, ut mihi epistolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas.

Ex οὐσίας nomine per compositionem deflexum est τὸ ὁμοούσιον, ut ab Latino *substantiæ*, *consubstantiale* deductum est. Vocabulum istud, σύνδεσμος ille πίστεως, prout *in Ancorato* Epiphanius vocat *n.* 6. et catholicæ professionis propugnaculum adversus Arium (quibus paucis syllabis hæresum omnium, quotquot sanctissimam Trinitatem oppugnabant, propulsata sunt eversaque commenta; ac discrimen inter partes constitutum, ut alieni adulterinique discernerentur ab germanis legitimisque Christianis: quum, ambage omni disputationis submota, unius voculæ pronuntiatione fidem isti suam approbarent, eandem illi rejiciendo hæreticos se esse proderent.) Hoc igitur vocabulum non fuit ab Nicænis Patribus excogitatum, teste (1) Athanasio; sed longe ante ipsos usurpatum a veteribus tum hæreticis, ut (2) Paulo Samosateno, qui Christum minime ex aeterno Deum extitisse asserens, eo argumento utebatur, quod nisi ita esset, οὐκοῦν ὁμοούσιος

(1) De Decretis Nic. Syn. pag. 230.
(2) Vide Epiphanium haer. 65. pag. 615.

ὁμοούσιός ἐστι τῷ πατρὶ, καὶ ἀνάγκη τρεῖς οὐσίας εἶναι, μίαν μὲν προηγουμένην· τὰς δὲ δύο ἐξ ἐκείνης. ille *Patri consubstantialis esse videretur, sicque necesse esset, tres esse substantias, unam priorem, duas autem ex illa procedentes*, ut idem Athanasius refert *libro de Synodis pag.* 759. *b.* Sed quum nondum legitimus ac probabilis constaret illius usus, catholici præsules in Antiocheno Concilio acceptam ab hæretico vocem, ac prava interpretatione detortam, funditus repudiarunt contra ac Nicæni episcopi, qui ex hæretico perinde arreptam ore libenter amplexi sunt, proque ortodoxæ fidei tessera deinceps haberi voluerunt; idque ab Athanasio discimus *laud. de Synodis libro pag.* 605. *e.* quia *οἱ μὲν τὸν Σαμοσατέα, οἱ δὲ τὴν Ἀρειανὴν αἵρεσιν κατέκριναν, illi Samosatensem, hi Arianam hæresim damnarunt.*

Vocabuli autem sanciendi caussam hanc fuisse prodit idem (1) Auctor, quod quum episcopi catholici in ea Synodo inter se deliberarent, quibus verbis veram fidei professionem conciperent, ut Ariana perfidia extingueretur; primum existimarunt, Filium Deum de Deo, unigenitum, etc. ut ex Apostolo colligitur, dicendum esse. Cum vero Eusebius Nicomediensis gregales suos admonuisset, non esse, quod his assentiri vererentur, eo quia res omneis creatæ itidem a Deo sunt: id animadvertentes Patres, apertius enuntiarunt, ex Patris substantia Filium esse. Deinde cum illud etiam addi placuisset, Filium potentiam et imaginem Pa-

(1) De Decretis Nic. Syn. pag. 224-25.

Patris esse, eique per omnia similem et immutabilem; neque huic subscribere detrectarent Ariani, quod haec omnia nobiscum illi communia sint. Tandem ad istorum penitus labefactandam hæresim de communi sententia additum fuit τὸ ὁμοούσιον, ut non solum ei similis, sed ejusdem omnino naturæ, essentiæ, substantiæ crederetur. Et quidem, reliquis omnibus ad pravitatem suam detortis, hoc unum fecit illis aquam hærere, omnemque ipsorum persecutionem sustinuit: cujus elogium et commentarium universa Chalcedonensis Synodus edidit in acclamatoria ad Imperatorem Marcianum (1) oratione, ubi affirmat, vocem ipsam non modo adversus Arium, verum etiam adversus Praxeam et Sabellium symbolo esse insertam, validam illam quidem atque efficacem. Quod etiam Basilius confirmat *epistola* 52. *ad Canonicas*, *seg.* 3. asserens, vocem illam Sabellii quoque pravitatem corrigere, dum hypostasis identitatem tollit, perfectamque personarum notionem inducit, quum haud quidquam sibiipsi consubstantiale sit, sed alterum alteri.

Contra Ariani per eam Sabellii et Samosateni exprimi ac roborari perfidiam exclamabant, qui μονοπρόσωπον esse, unaque hypostasi constare Deum, asserebant. Atque ex ea consubstantialitate sequi putabant, Filii generationem humanæ esse similem, in qua substantiæ desectio accidit. Et Arius ipse in sua apud (2) Hilarium epistola fatetur, se

 pro-

(1) Extat in collect. Concil. Paris. an. 1644. tom. 9. pag. 191. (2) Lib. 6. pag. 883 - 86. ed. Par.

propterea ὁμοούσιον negare Filium Patri, ne prolatione, ut Valentinus, natum illum, vel partem cum Manichæo paternæ substantiæ, asseveret: aut unionem cum Sabellio dividens, Filium ipsum esse dicat, quem et Patrem: aut lucernam e lucerna, sicut Hieracas, qui, quamvis totam Patris substantiam in Filium transfusam dicebat; diversam tamen esse numero contedebat. Filium enim factum, unamque ex creaturis docere conabatur; atque illud *ex Deo* non ita interpretabatur, ut Filium Patre vero natum crederet; sed perinde ac cetera creata ex Deo esse affirmabat, similitudinis unitatem Filii cum Patre natura constare negans, ut consensu dogmatum doctrinæque ratione ea similitudo conflata esset. Filii igitur essentiam prorsus a Patre alienans, atque aliud existendi initium illi affingens, ad creaturarum censum detrahebat. Cæterum Ariani τὸ ὁμοούσιον id appellari ajebant, quod aliquo ex his tribus modis oritur: ἢ κατὰ μερισμὸν, ἢ κατὰ ῥεῦσιν, ἢ κατὰ προβολὴν, *vel partitione, vel profluvio, vel propagatione*. propagatione, ut ab radicibus germen: profluvio, sicut paterni filii: partitione, ut auri glebæ duæ tresve. Adjiciebant præterea, id nominis rem quamdam et naturam significare, quæ sit anterior iis, qui eam participant. Objiciebant tandem, nusquam in Scripturis inveniri.

Hæ sunt vocis illius falsæ notiones, ea objecta, ob quæ ab ipsa se abhorrere dictitabant hæretici. Sed omnibus præ cunctis occurrit (1) Athanasius, eximendum

(1) De Decret. Nic. Syn. pag. 229. ed Par.

dum statuens ab ejus nominis appellatione id omne, quod concretum et corporeum est; atque hoc unum exprimendum eliquandumque esse, quod præcipue in illius usu spectatur, propriam scilicet Patris Filiique germanitatem, et Verbi ad Deum habitudinem: quoniam τὸ ὁμοούσιον hoc unum in Filio significat, unam eandemque, essentiam illius esse, quæ Patris est; etsi hypostasis, sive persona, alia sit utriusque.

Sectioni illi vel partitioni substantiæ, quæ ad ὁμουσίου significationem videtur adhærescere, percommode opponitur similitudo illa, alias in Hieraca damnata, *Lumen de Lumine*, qua incorrupta illa et passionis expers Filii generatio egregie solet declarari. Quod in divinis litteris non extet, objectio est utique susque deque habenda. Quamvis enim vocabulum aperte in sacris Paginis non continetur, vi tamen notioneque comprehenditur: Nam quum Deus, ut et superius vidimus, Moysem alloquens, אשר אהיה, dicat, אהיה. sive εἰμὶ ὁ ὤν, *sum qui sum*, inde οὐσίας nomen deflexum est. Quamobrem (1) Athanasius, Γινωσκέτω δὲ ὅμως εἴτις ἐστι φιλομαθὴς, ait, ὅτι εἰ καὶ μὴ οὕτως ἐν ταῖς γραφαῖς εἰσὶν αἱ λέξις, ἀλλὰ .... τὴν ἐκ τῶν γραφῶν διάνοιαν ἔχουσι, καὶ ἐκφωνούμεναι σημαίνουσι τοῖς ἔχουσιν εἰς εὐσέβειαν τὴν ἀκοὴν ὁλόκληρον. *Noverit tamen quisquis studiosus fuerit, etiamsi ipsæ voces ita in Scripturis non extent; nihilominus .... sen-*

(1) Ibidem pag. 227. a.

tentiam, quam continent, vere ex Scripturis haberi. Quibus tamen præmiſſis, doctiſſime quærit (1) Nazianzenus: Πῶς οὕτω σὺ λίαν δουλεύεις τῷ γράμματι, καὶ γίνῃ μετὰ τῆς Ἰουδαϊκῆς σοφίας, καὶ συλλαβαῖς ἀκολουθεῖς, ἀφεὶς τὰ πράγματα; εἰ δὲ σοῦ τὰ δὶς πέντε λέγοντος, ἢ τὰ δὶς ἑπτὰ, τὰ δέκα συνῆγον, ἢ τεσσαρεσκαίδεκα ἐκ τῶν λεγομένων· ἢ ἐκ τοῦ ζῶον λογικὸν θνητὸν, τὸν ἄνθρωπον· ἆρα ἄν σοι ληρεῖν ἐνομίσθην; καὶ πῶς τὰ σὰ λέγων; οὐ γὰρ τοῦ λέγοντος μᾶλλον οἱ λόγοι, ἢ τοῦ λέγειν συναναγκάζοντος. *Quid cauſſæ eſt, cur litteræ tantopere ſervias, Judaicæque ſapientiæ teipſum adjungas, relictiſque rebus ſyllabas conſecteris? Quod ſi te bis quinque, aut bis ſeptem dicente, decem aut quatuordecim ex verbis tuis colligerem; aut ex eo, quod animal ratione præditum et mortale diceres, hominem eſſe concluderem: an tibi nugari viderer? Nequaquam profecto, quum tua dicerem: neque enim hæc verba magis ſunt ejus, qui loquitur, quam illius, qui loquendi neceſſitatem afferſt.* Gregorio Hilarius adjungendus, aptiſſime diſſerens *contra Constantium Auguſtum pag.* 1251. *a. Novitates vocum, ſed profanas, devitari jubet Apoſtolus* (1. ad Tim. 6. 20) *Tu cur pias excludis? cum præſertim ab eo dictum ſit* (2. ad eund. 3. 16.) Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt. *Innaſcibilem ſcriptum nuſquam legis. Nunquid ex hoc negandum erit, quia novum erit? Decernis ſimilem Pa-*

(1) In Orat. 37. pag. 606. d. ed Col.

Patri Filium, Evangelia non prædicant. Quid est, quod non refugis hanc vocem? In uno novitas eligitur, in alio submovetur. Ubi impietatis occasio patet, novitas admittitur: ubi autem religionis maxima et sola cautela est, excluditur.

Mirum tamen videri non debet, si Basilius, rogatus a quibusdam, ut τῆς εὐσεβοῦς πίστεως ἔγγραφον ὁμολογίαν, *piæ fidei petitam ex Scripturis confessionem* sibi mitteret, ita ut consubstantiali careret; ipse rem periculosam ducens, infirmis illis non morem gerere, silentioque salutarem confessionem præterire; fidei formulam ad eos miserit, in qua consubstantiale non adhibuit. Sed veritus, ne merito argueretur, declarat, idem sibi propositum non fuisse, atque in ceteris operibus, quum aliud sit hæreticos refellere, aliud sanam fidem simpliciter exponere: Ἄλλο γὰρ, (1) inquit, εἶδος λόγου ἐλεγκτικοῦ, καὶ ἄλλο εἶδος λόγου παρακλητικοῦ. ἄλλη ἁπλότης τῶν ἐν εἰρήνῃ τὴν εὐσέβειαν ὁμολογούντων, καὶ ἄλλοι ἱδρῶτες τῶν πρὸς τὰς ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως ἱσταμένων. *Aliud enim usurpatur dicendi genus ad refellendum, aliud ad exhortandum. Alia simplicitas eorum, qui in pace pietatem confitentur, et aliis sudores eorum, qui se adversus falsæ scientiæ discrepantiam opponunt.* Privatim ergo nonnullis consuluit Basilius, seque ad eorum infirmitatem accommodavit, consubstantiale prætermittendo, quod illi nondum receperant.

Homou-

(1) Lib. de Fide tom. 2. pag. 225. b. ed. Par.

Homoousion esse Patri Filium, et unam eandemque non specie solum, sed numero etiam esse eorum essentiam divinitatemque, ex illis Christi verbis apud Joannem colligitur *cap.* 10. *vers.* 30. Ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. *Ego et Pater unum sumus. vers.* 38. Ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν αὐτῷ. *Pater in me est, et ego in Patre.* et *cap.* 14. *vers.* 9. Ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε καὶ τὸν πατέρα. *Qui videt me, videt et Patrem. vers.* 10. Οὐ πιστεύεις, ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι; *Non credis, quod ego in Patre, et Pater in me est?* Quam consubstantialitatem acute ac luculenter probat ex ejusdem Evangelistæ initio Augustinus *in primo de Trinitate*, sic scribens *cap. 6. pag.* 754. *e. ed. Ven. In eo autem declarat, non tantum Deum esse, sed etiam ejusdem cum Patre substantiæ; quia cum dixisset*, Et Deus erat Verbum, Hoc erat, *inquit*, in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. *Neque enim dicit* Omnia, *nisi quæ* facta sunt, *id est, omnem creaturam. Unde liquido apparet, ipsum factum non esse, per quem facta sunt omnia. Et si factus non est, creatura non est: si autem creatura non est, ejusdem cum Patre substantiæ est. Omnis enim substantia, quæ Deus non est, creatura est; et quæ creatura non est, Deus est. Et si non est Filius ejusdem substantiæ, cujus est Pater; ergo facta substantia est. Si facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt. At*

omnia

omnia per ipsum facta sunt. Unius igitur ejusdemque cum Patre substantiæ est; et ideo non tantum Deus, sed et verus Deus. Ejus porro Apostolici loci quanta sit adversus hæresim utramque vis; accurate ostendit (1) Isidorus Pelusiota hoc modo: Ἐκ μὲν τοῦ υἱοῦ τὸ ὁμοούσιον· ἐκ δὲ τοῦ λόγου τὸ ἀπαθὲς· ἐκ δὲ τοῦ ἐν ἀρχῇ εἶναι, τὸ συναΐδιον· ἐκ δὲ τοῦ πρὸς τὸν θεὸν εἶναι, τὴν πρὸς τὸν πατέρα οἰκειότητα· διὰ δὲ τοῦ θεὸν εἶναι, τὴν ἀξίαν αὐτοῦ καταμαθόντες. καὶ ἐξ ἑκάστου ὀνόματος τὸ ἐφορμοῦν ἀπρεπὲς ἀποπεμψάμενοι· οἷον, ἀπὸ μὲν τοῦ υἱοῦ, τὸ νεώτερον· ἀπὸ δὲ τοῦ λόγου, τὸ ἀνυπόστατον, θεὸν ἀΐδιον, ὁμοούσιον, ἀπαθῶς καὶ ἀχρόνως ἐκ τοῦ πατρὸς προελθόντα εἰδείημέν τε καὶ προσκυνήσαιμεν. *Ex Filii appellatione, consubstantiale: ex Verbi vocabulo, passionis expers: ex eo quod in principio erat, coaeternum: ex eo quod apud Deum erat, conjunctionem cum Patre: ex eo quod est, illius majestatem dignitatemque, discentes; et unoquoque nomine quidquid indecorum est removentes, velut a Filii nomine, junioris significationem: a Verbi appellatione, id quod nullam habet subsistentiam; Deum æternum, consubstantialem, citra passionem et tempus ex Patre progressum noverimus et adoremus.* Adde S. Ambrosium *lib. 3. de Spiritu Sancto, pag. 693. tom. 2. ed. Par.*

Tan-

(1) Epist. 141. libri quarti pag. 492. ed. Par.

Tandem ex iis, quæ disseruimus, facile percipitur Basiliani illius loci mens *epistola* 52. *ad Canonicas pag.* 145. Inquit enim sanctus præsul: Οὐ γὰρ τὰ ἀδελφὰ ἀλλήλοις ὁμοούσια λέγεται, ὅπερ τινὲς ὑπειλήφασιν· ἀλλ' ὅταν καὶ τὸ αἴτιον καὶ τὸ ἐκ τοῦ αἰτίου τὴν ὕπαρξιν ἔχον, τῆς αὐτῆς ὑπάρχῃ φύσεως, ὁμοούσια λέγεται. *Non enim quæ fratrum inter se rationem habent dicuntur consubstantialia, id quod quidem existimarunt; sed quum et caussa et id quod ex caussa existentiam habet, ejusdem naturæ sunt, consubstantialia dicuntur.* Ubi ea sola arbitrari videtur consubstantialia, quorum unum ab altero originem accepit. Et quidem Basilii verba sic explicat cum Caleca, Bessarione, et Demetrio Cydone Petavius *de Trinitate lib.* 7. *cap.* 4. ut illum ea proprie consubstantialia dicere putet, quæ originis habitudine junguntur: cetera autem minus proprie, ut Petrus et Paulus. Verum si divi Patris verba accuratius expendantur, non videtur heic id negare, quod ipsemet conceptis verbis asseverat *epistola* 38. *pag.* 116. homines esse inter se consubstantiales, sed eos tantum refellere, qui consubstantialis notionem rebus inter se fraterna cognatione junctis ita proprie attribuebant, ut divinis aptari non posset. Cæterum quum singularis illa communisque natura, quæ usia vocatur, sola species citima sit, quam *infimam* et *specialissimam* Scholæ nominant (Res enim, cui convenit ut sit forma, sive species extre-

extrema, postquam speciei nomen accepit, natura appellatur substantiaque.) omnia, quæcumque ipsam participant, ejusdem naturæ et substantiæ esse dicuntur: minime vero quæ in genere conveniunt, quamquam aliquibus videatur. Itaque non genus, sed infima species φύσις et οὐσία nominatur; quique ejus sunt participes, ὁμοφυεῖς et ὁμοούσιοι vocantur; ac nemo hunc hominem consubstantialem esse dixerit hujus equi vel canis. Quare usia substantiave hujus hominis, animalis natura nequit appellari; sed humana, quæ infima species est.

5. *Repugnantibus autem quasi contra rem impossibilem.*) Vocabulum istud ὁμοούσιον, sive ὁμούσιον, ex duabus voculis est compositum, ὁμοῦ et οὐσία, ut notat (1) Marius Victorinus. Ὁμοῦ tale est, ut, cui jungitur, nunc ejusdem rei, nunc simul cum re rem esse significet. Nam cum ὁμοειδής vel ὁμώνυμος dicimus, *ejusdem speciei* vel *nominis* duo quædam esse significamus: qua ratione ὁμοούσιον, *ejusdem substantiæ* rem esse ostendit. cum autem ὁμῆλιξ aut ὁμότροφος, *simul ætate* aut *nutritum* esse aliquem cum aliquo indicamus: quo sensu ὁμοούσιον *simul substantiale*, seu *consubstantiale* declarat. Ariani igitur, qui ἑτερούσιον, *dissimilem substantia* rebusque ceteris Patris esse Filium contendebant, vocem funditus respuebant, et contra ejus consubstantialitatem totis viribus acerrimoque odio renitebantur. Nam

(1) Lib. de homoousio pag. 295. d. tom. 4. Bib. Patrum Lugd.

Digitized by Google

Nam ex utraque vocabuli notione damnantur, ex priori quidem dicentes, *Ex nihilo productum esse Filium*, ex posteriore autem affirmantes, *Fuisse quando non erat*. Quippe si semper et in principio fuit Pater, simul cum eo et Filius fuerit necesse est, qui sit ὁμοούσιος. Et sane nihil accuratius, nihil plenius, nihil pulchrius ambabus hisce voculis atque opportunius ad Sabellii Ariique obterenda commenta esse potest; atque illud ὁμοῦ tum Arianam divinitatis conjunctionem, tum Sabellianam personarum confusionem omnino excludit: quam συνούσιον appellat (1) Cæsarius, ab Epiphanio mutuatus, qui *in Ancorato n. 6. pag.* 10- *d. tom. 2. ed. Par.* Filium οὐ συνούσιον, ἀλλ' ὁμοούσιον esse ait.

6. *Nec commune genus habet superpositum.*) Inter cetera, quæ ad ὁμοούσιον conterendum objiciebant Ariani, illud in primis erat, quod id nominis rem quandam (ut superius quoque diximus) et naturam significet anteriorem iis, qui eam participant, tanquam *prior substantia vel usia materiæ alicujus extiterit, quæ participata duobus, et in utroque consumpta, utrumque illum et naturæ anterioris, et rei esse testetur unius*, ut Hilarius loquitur sub initium *libri* 4. *de Trin. pag.* 828. *d.* Atque idcirco improbare se homoousii confessionem ajunt, quod enuntiatio ejus Filium a Patre non distinguat; sed posteriorem Patrem materia, quæ sibi

(1) In respons. ad interrog. decimam p. 553. d. Bib. Patrum Græc.

sibi cum Filio sit communis, oſtendat. Sic apud (1) Athanasium objiciunt: Ὁ λέγων ὁμοούσιον, τρία λέγει, οὐσίαν τινὰ προϋποκειμένην, καὶ τοὺς ἐκ ταύτης γεννωμένους ὁμοουσίους εἶναι. *Qui dicit consubstantialem, tria dicit: substantiam aliquam præsubjectam, eosque ex illa genitos consubstantiales esse*; conficiuntque: Ἐὰν οὖν ὁ υἱὸς ὁμοούσιος ᾖ τῷ πατρὶ, ἀνάγκη προϋποκεῖσθαι αὐτῶν οὐσίαν, ἐξ ἧς καὶ ἐγεννήθησαν, καὶ μὴ εἶναι τὸν μὲν πατέρα, τὸν δὲ υἱὸν· ἀλλ' ἀμφοτέρους ἀδελφούς. *Si Filius consubstantialis est Patri, necesse est, prius subjacere eorum subtantiam, ex qua geniti sunt: adeo ut non sit alter eorum Pater, alter Filius; sed ambo Fratres*. Sic et Eunomius τὸ ὁμοούσιον invidiose interpretatur apud (2) Basilium: Οὐ γὰρ δὴ τοῦτο ἂν εἴποιμεν, ὡς κοινὴ μὲν ἀμφοῖν ἡ οὐσία· τάξει δὲ, καὶ τοῖς ἐκ χρόνου πρεσβείοις, ὁ μέν ἐστι πρῶτος, ὁ δὲ, δεύτερος. ἐπειδή γε δεῖ προσεῖναι ἐν τοῖς ὑπερέχουσι τὸ τῆς ὑπεροχῆς αἴτιον. *Non enim dicere possumus, communem quidem utriusque substantiam esse, ordine vero et temporis prærogativa illum primum esse, hunc vero secundum: siquidem certe in iis, quæ præstant, præstantiæ caussam inesse oportet*.

7. *Filium Patri omni discrimine remoto similem proferre.*) Post Arianam in Nicæna Synodo profliga-

(1) Lib. de Synodis pag. 764. d. ed. Par.
(2) Lib. primo contra Eunom. pag. 230. ed. Par,

fligatam hæresim, in eaque præscriptam catholicæ fidei normam, quæ tota fere unica τῦ ὁμοϐσίϐ vocula continebatur; plerique ab Arii grege, ad pastoris invidiam emolliendam, ita sese aliquantum disjunxerunt, ut in tres factiones divisi fuerint. Prima Anomoeorum dicta fuit, qui aperte Filium creaturam esse ajebant, nec ulla re Patri similem, nedum parem et æqualem: quamquam ἀδύνατον, τὸν γεννῶντα ἀνόμοιον καὶ ἄνισον γεννᾶν ἑαυτῦ, *fieri nequit, ut qui generat, dissimilem sui inæqualemque producat*, quemadmodum Epiphanius observat *Hær.* 76. *pag.* 935. *a*. Hujus sectæ signifer fuit Aëtius diaconus, ejusque discipulus Eunomius acerrimus propugnator.

Altera Acacianorum appellata fuit, ab Acacio Cæsareæ in Palestina episcopo, alias Anomœo. Ea factio non tam ex doctrinæ dissidio, quam ex odio ac simultate conflata est. Acacius enim Cyrillo Hierosolymitano inimicus erat ob ecclesiæ suæ jura, a quibus abstrahere se Cyrillus moliebatur. Quamobrem, etsi reipsa non aliter atque Anomœi de Deo sentiret, privato tamen odio paullo diversam rationem ingressus est, ut neque consubstantialem diceret esse Patri Filium, neque unam ex creaturis; similem vero, non tamen essentia substantiave. Proinde ϐσίας vocem, tamquam peregrinam neque Scripturis usitatam, rejiciebat; atque Aëtianum, Eunomianum, Eudoxianum ἀνόμοιον anathemate damnabat: in quo verbo tenus ab illis dissidens, reipsa consentiebat, ut qui istam

qua-

qualemcumque similitudinem eodem atque illi caperet sensu. Hujusmodi exiit illa fidei formula, quam ab ipso Acacio conceptam, et Seleuciæ in Isauria publicatam, nono ordine Athanasius collocat *in libro de Synodis pag. 746. ed. Par.* Nam cum Aetii et Anomœorum dogma, quod Filium creaturam esse ex reliquarum ordine, Patrisque nulla re aut naturæ proprietate similem asserebat; aperte palamque prolatum vulgo invidiam haberet, et ejusmodi vocem qualiumcumque Christianorum aures non admitterent, fucum illi fecit captiosis insidiosisque verbis, similem ut esse doceret Patris Filium, eodem prorsus modo sensuque, quo Anomœi fatebantur, sola dissimilis voce callide condemnata, quam illi audacter usurpabant.

Tertia Semi-Arianorum vocata fuit, qui, rejecto ὁμουσίῳ, Filium Patri non consubstantialem, sed ὅμοιον ἀπαραλλάκτως, *per omnia similem*, adeoque κατ᾽ οὐσίαν et ὁμοιούσιον, esse ajebant. De hac factione commodius senserunt ac locuti sunt plerique Patrum, ut Athanasius *in libro de Synodis* (ubi etiam fratres illos appellare non dubitat *pag. 633. d. tom. 2. ed Patav.*) et Hilarius, qui *in libro de Synodis pag. 1158. sq. ed Par.* fidei ἔκθεσιν in Ancyrano Concilio a Basilio, illius urbis episcopo, aliisque Semiarianis editam magnopere collaudavit, et accuratius expositam defensamque misit in Gallias, quamvis in illa, consubstantiali suppresso, sola per omnia cum Patre Filii similitudo

e pone-

ponebatur. Sed eorum dogma obscurum plane fuit, densis offusum tenebris, atque ad investigandum difficile et perplexum. Qualis igitur Basilii Ancyrani ejusque universæ factionis opinio de sacrosanctæ Trinitatis mysterio fuerit, non potest aliunde melius certiusque cognosci, quam ex ipsa illorum confessione, uberrimaque disputatione apud Epiphanium *in eorum hæresi septuagesima tertia pag.* 864. *et seq.* Ibi multa catholico dogmati quam simillima proferunt, imprimis quod Filium negent creaturam esse, quia verus est Filius, veraque generatione productus, non tropica illa, qua creatæ res a Deo genitæ dicuntur. Nam Patrem ex sese Filium genuisse fatentur ante omnem cogitationem, omnes rationes, tempora, et sæcula.

Hæc, inquam, sunt specie ipsa plausibilia, et ad catholicam professionem quam proxime accedunt; attamen hoc deest illis, in quo fidei robur caputque consistit, Filium nempe ἐκ τῆς οὐσίας genitum a Patre esse, non autem ἐκ τῆς ὁμοιότητος τοῦ πατρὸς, *ex similitudine Patris*, sive ἐνεργείᾳ γεννητικῇ, *actione et efficientia genitali*, ut confitentur, ajentes, Patrem duas habere actiones, unam κτιστικὴν, *creatricem*, alteram γεννητικὴν, *generatricem*, qua Filium producit. Quapropter nec numero, nec specie quidem unam in Patre Filioque substantiam constituebat Ancyranus Basilius ejusque socii, sed diversas ac dispares; ideoque τὸ ὁμοούσιον in postremo anathematismo damnarunt.

Atqui S. Athanasius *laudato de Synodis libro*, etsi

etsi non remisse agat in præconiis illis deferendis, hoc tamen eorum ὁμοιούσιον (quod idem ac τὸ ὅμοιον ἀπαραλλάκτως est) tribus argumentis egregie impugnat. Primo quod similitudinis notio τὴν ταυτότητα, *identitatem*, excludat (quæ enim similia sunt, ejusdem naturæ non sunt, ut crystallus adamanti, stannum argento, multum inter se natura distantia, similia sunt.) Secundo, quia ex ea, quamtumvis substantiali, essentiæ duplicitas consequitur. Tertio, quod similitudo non nisi secundum qualitates usurpetur. Quamobrem Basilius in ea rerum perturbatione, quam Arianorum tricæ de simili et dissimili induxerunt anno CCCLX. neque simile neque dissimile, verum naturæ identitatem et consubstantiale professum esse significat *epistola* 8. *seg.* 3. Καί τοι ἡμεῖς κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον οὔτε ὅμοιον, οὔτε ἀνόμοιον λέγομεν τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ· ἑκάτερον γὰρ αὐτῶν ἐπίσης ἀδύνατον· ὅμοιον γὰρ καὶ ἀνόμοιον κατὰ τὰς ποιότητας λέγεται. ποιότητος δὲ τὸ θεῖον ἐλεύθερον· ταυτότητα δὲ τῆς φύσεως ὁμολογοῦντες, καὶ τὸ ὁμοούσιον ἐκδεχόμεθα, καὶ τὸ σύνθετον φεύγομεν, τοῦ κατ' οὐσίαν θεοῦ καὶ πατρὸς, τὸν κατ' οὐσίαν θεὸν καὶ υἱὸν γεγεννηκότος· ἐκ γὰρ τούτου τὸ ὁμοούσιον δείκνυται. ὁ γὰρ κατ' οὐσίαν θεὸς τῷ κατ' οὐσίαν θεῷ ὁμοούσιός ἐστι. *Nos secundum veram doctrinam neque similem, neque dissimilem Patri Filium dicimus. Nam æque utrumque horum repugnat. Enimvero simile et dissimile qualitatum habita ratione dicuntur. Deus au-*

tem liber est a qualitate. Verum identitatem naturæ confitentes, et consubstantiale admittimus, et compositionem fugimus; cum is, qui secundum essentiam Deus et pater est, Deum secundum essentiam et Filium genuerit. Ex hoc enim consubstantiale ostenditur. Nam Deus secundum essentiam Deo secundum essentiam consubstantialis. Quamquam postea, quum ab Arianorum perfidia non admodum timendum esset, *simile secundum essentiam* infirmorum caussa indulgebat, modo τὸ ἀπαραλλάκτως, *citra ullam differentiam*, adderetur: secus suspectam hanc vocem existimabat, ut *ex epistolæ nonæ seq.* 3. videre est. Ex quo illud percipi potest, Basilium nemini necessitatem imposuisse consubstantialis profitendi; neque mirum videri debet: quo enim tempore epistolam illam nonam exarabat, communione et amicitia conjunctus erat cum Silvano Tarsensi, pluribusque aliis episcopis, qui, etsi fidem Nicænam acerrime defenderent, nondum tamen consubstantiale palam et aperte receperant. Notum est tandem omnibus, quanta lenitate Athanasius et Hilarius cum ejusmodi hominibus agendum censuerint.

Gregorius Nyssenus *libro primo contra Eunomium pag.* 46. *b.* Arianorum fraudem retegens, similem esse Patris Filium asserentium, triplex similitudinis genus discernit. Primum eorum, quæ natura et genere diversa, in aliquo duntaxat, quod naturam consequitur, utcumque conveniunt, velut colore, lineamentis, externa figura; atque hoc modo

do exemplari suo imago similis. Alterum, quo homo ad Dei similitudinem factus dicitur. Tertium denique, quo Adami similem Seth dicimus, et filios ceteros parentum similes: quæ quidem similitudo naturæ ac substantiæ propria est: unde Filium Dei Patris similem appellari Nyssenus affirmat, substantiæ nimirum paternæ, neque vero operationis et efficaciæ, quod Eunomius prædicabat. Perfectam enim similitudinem nihil ab æqualitate atque identitate naturæ differre passim Hilarius aliique veteres affirmant: e quibus complures, quemadmodum et supra diximus, hanc Semiarianorum opinionem super absoluta Filii similitudine pro catholica admittunt, quasi τὸ ὁμοιούσιον, *simile substantia*, idem sit plane, quod ὁμοούσιον, *idem substantia*.

Id autem similitudinis genus repræsentatitium intelligebant, cum Filium Patris per omnia similem dicerent, adeoque substantia ipsa. Nam duas non solum numero, sed etiam specie diversas; imo genere toto discrepantes, naturas ponebant, alteram increatam, immensam, æternam; inferiorem alteram, et a summa illa derivatam ac procreatam, modo licet atque in ceteris creatis excellentiori. Hanc autem prioris illius, ac non dignitate modo, sed ævo quoque superioris, similem, atque ejus imaginem externa tantum repræsentatione specieque, esse docebant; propterea que Deum quidem et ipsum, sed Dei veri voluntate: ut propterea non duo essent Dii, verum unus. si-

cut etiam regis imago rex dicitur, neque tamen reges sunt duo, nec ipsa imago naturam regis substantiamque intime et οὐσιωδῶς complectitur. Hæc igitur germana fuit Arianorum quorumdam mens, qui minus impii, et semicatholici habiti sunt. Nos vero orthodoxi non nudam similitudinem, sed ejusmodi, quæ identitatem significet, profitemur; ac Filium ita Patris similem credimus, ut ea similitudo nihil ab identitate æqualitateque discrepet. Itaque definire præstat cum (1) Cyrillo, Filium ἐν ταυτότητι τῇ κατὰ πάντα τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ εἶναι, διὰ τὴν φυσικὴν ἐμφέρειαν, καὶ τὸ τῆς οὐσίας οἱονεὶ ταυτοειδὲς, *eundem plane esse cum Deo et patre naturali similitudine, substantiæque identitate*. Illa enim imaginis similitudo, quæ utriusque identitatem habet, in natura spectanda est, in qua sola ambo sunt idem, neque vero in subsistentia, sive personali proprietate. Quamobrem (2) Damascenus, Filium esse quidem naturalem nihilque differentem Patris imaginem, eique per omnia similem, pronuntiat, πλὴν τῆς ἀγεννησίας καὶ τῆς πατρότητος, *excepta ingeniti proprietate et paternitate*. Et sane si proprietatis etiam hypostaticæ Patris similitudo in Filio esset, valeret id, quod Ariani adversus utriusque similitudinem objiciebant, oportere vel Filium ipsum gignere, ut sit Patri similis, quia paternitati similis paternitas est. Con-

(1) In Dial. 5. de Trinit. pag. 553. e tom. 5. part. 1. ed. Par.

(2) Orat. 3. de Imagin. pag. 354. b. tom. 1. ed. Par.

Contritus usu apud Arianos, et famosus est locus ille Evangelio Joannis *cap.* 14. *vers.* 28. in quo Patre minorem se esse Christus plane ac citra ambages ullas profitetur: Εἰ ἠγαπᾶτέ με, ἐχάρητε ἂν, ὅτι εἶπον, πορέυομαι πρὸς τὸν πατέρα· ὅτι ὁ πατήρ μου μείζων μού ἐστι. *Si diligeritis me, gauderetis utique, quod dixi, Vado ad Patrem: quia Pater meus major me est.* Ex quo confectam tibi rem putabant, ut, quoniam idem seipso majus minusve dici nequit, non eandem utriusque credi essentiam oporteat. Sic apud (1) Cyrillum per Eunomium ajunt: Τὰ τὴν αὐτὴν οὐσίαν λαχόντα, ὁμοφυῆ τε ὄντα, οὐκ ἔχουσι καθ' ἑαυτῶν φυσικῶς τὸ μεῖζον, ἀλλ' οὔτε τὸ ἔλαττον· οὐ γὰρ μείζων ἄνθρωπος ἀνθρώπου κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον, ἀλλ' οὐδὲ ἵππος ἵππου τυχὸν. εἰ τοίνυν ἑαυτοῦ μείζονά φησιν ὁ ὑιὸς εἶναι τὸν πατέρα, ὁμοούσιον δὲ ὁμοουσίου οὐκ ἂν εἴη μεῖζον κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον, οὐκ ἄρα ὁμοούσιος αὐτῷ ἐστὶ. *Quæ eadem substantia constant, et ejusdem naturæ sunt, non recipiunt in se naturaliter magis aut minus: neque enim ratione substantiæ major est homo homine, ut nec equo equus. Si ergo Filius Patrem majorem se esse dicit: consubstantiale autem consubstantiali majus esse ratione substantiæ nequit: non est igitur ei consubstantialis.*

Duplex loci illius explicatio huic hæreticorum calumniæ a catholicis objecta est, altera divinitatem,

(1) Lib. 2. Thes. pag. 84. tom. 5. par. 1. ed. Par.

tem, humanitatem altera reſpiciens. Alexander Alexandriæ ille præſul, qui primus in Arium inſurrexit, eumque damnavit, Patrem majorem dici (1) ajt, quatenus ingenitus eſt, ac ſola ingeniti ratione inferiorem eo eſſe Filium: Τέλειον υἱὸν ἐμφερῆ τῷ πατρὶ μεμαθήκαμεν, μόνῳ τῷ ἀγεννήτῳ λειπόμενον ἐκείνου. *Perfectum Filium Patris ſimilem eſſe didicimus, hoc ſolo inferiorem illo, quod ingenitus non eſt.* Verum inter plurimas, quæ quoad primam explicationis ſpeciem feruntur de loco illo, ſententias nullam mihi magis placere fateor, quam quæ in Sardicenſi Concilio affixa, in collectione Concil. Pariſienſi an. 1644. ex Theodoreti *libro* 2. *cap.* 6. relata eſt *tom.* 3. *pag.* 76. Οὐδέ τις ἀρνεῖταί ποτε τὸν πατέρα τοῦ υἱοῦ μείζονα, οὐ δι' ἄλλην ὑπόστασιν, οὐ διὰ τὴν διαφοράν· ἀλλ' ὅτι αὐτὸ τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς μεῖζόν ἐστι τοῦ υἱοῦ. *Nemo negat, Patrem Filio majorem eſſe, non propter aliam hypoſtaſim, vel propter differentiam; ſed quia ipſum Patris nomen majus eſt nomine Filii.*

Atqui negant aliqui, hanc Sardicenſis Concilii definitionem ſic intelligendam eſſe, quaſi nomine tenus Patrem majorem Filio Scripturam dicere ſignificet; nec iſti voci majoris cujuſdam notio ulla ſubjecta ſit: ſed ita accipiendam eſſe ſtatuunt, ut major idem ſit, quod prior origine, et alterum ex

(1) In epiſt. apud Theodoretum lib. 1. pag. 18. lin. 30. ed Cantab.

ex se producens non ab eo productus. Quam sententiam religiose sentiendo non admittimus, ut neque eorum, qui ita disserunt. „ Trium perso-
„ narum sic una natura est, quomodo individuo-
„ rum est plurium in eadem specie. Nam ex eo
„ divinitatis æqualitas sequitur: quoniam ea, quæ
„ sub una specie comprehenduntur, æqualia sunt
„ invicem; neque quoad essentiam et naturalem
„ conditionem alterum altero perfectius est. Sic ho-
„ mo homini, aurum auro natura par est; neque
„ inest in singulis essentiæ ac nativæ dignitatis
„ ulla diversitas: quamvis proprietatibus et singu-
„ laribus notis invicem distent. Ergo non essen-
„ tia aut substantia se Christus majorem Patre
„ suo esse ajt apud Joannem, sed proprietatibus
„ et qualitatibus: quia patris proprietates et qua-
„ litates majores jure suo sunt illis filii „. Ita enim nescio quæ in Patre prærogativa existeret, quod ab eo, ceu fonte, originem ducat Filius, quantumvis ejus existentia Patri coæterna dicatur. Quod quum ita sit, et nullum omnino Patrem inter et Filium discrimen liceat concipere, nulla utique generatio aut processio realiter esse potest, nisi ut mentibus nostris hanc trium personarum existentiam aliquo vocabulo exhibeamus. Hinc docet (1) Cyrillus, ἐπεὶ δέ γε τῆς ἁγίας Τριάδος τὸ πατὴρ, καὶ τὸ ὑιὸς, καὶ μὴν καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα οὐχ ὑπεροχῆς τινὸς ποιεῖσθαι δήλωσιν· μᾶλ-

(1) In epitome Dialog. tom. 1. pag. 665. d. ed. Par.

μᾶλλον δὲ τὸ τί τῶν ὠνομασμένων ἕκαςόν ἐςι, διαδείκνυσθαι· *in sancta quidem Trinitate Patris, Filii, et Spiritus Sancti nomina nullam prærogativam vel præcellentiam significare ; sed potius quid sit unusquisque, ostendere*. Probe igitur (1) Basilius τὸ μεῖζον istud apud Joannem neque magnitudinis, neque temporis, neque dignitatis, neque potentiæ, ac ne caussæ quidem principiive ratione dici existimat, sic magnifice eruditeque loquens: Ἀλλὰ μεγέθει μὲν ὁ πατὴρ τῦ υἱῦ ὐκ ἂν λεχθείη μείζων· ἀσώματος γάρ. ἀλλ᾽ ὐδὲ χρόνῳ· ὁ γὰρ υἱὸς αὐτῶν δημιυργός. ἀλλ᾽ ὐδὲ ἀξιώματι· ὐ γὰρ ἐγένετο ὃ ὐκ ἦν ποτέ. ὔτε μὴν δυνάμει· πάντα γὰρ, ὅσα ὁ πατὴρ ποιεῖ, καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ. ὔτε ὡς αἴτιος· ἐπεὶ ὁμοίως καὶ αὐτῦ καὶ ἡμῶν μείζων, εἴγε αὐτῦ καὶ ἡμῶν αἴτιος. τιμὴν τοίνυν μᾶλλον τὸ ῥηθὲν τῦ υἱῦ πρὸς τὸν πατέρα, ὐκ ἐλάττωσιν τῦ εἰπόντος, δείκνυσιν. *At magnitudine quidem Pater Filio major dici nequit, quippe est incorporeus: sed neque tempore, siquidem Filius conditor est temporum: neque dignitate, non enim factus est quod aliquando non erat : neque vero potentia, quæcumque enim Pater facit, hæc et Filius similiter facit : neque ut caussa, quoniam similiter illo et nobis major esset, cum et ipsius et nostri caussa sit*. Atque Cyrillus, postquam probavit, Filium non esse ὐσίᾳ minorem Patre, eo quod substantia magis minusve non admittat, sic ratiocinatur *lib. nono et undeci-*

(1) Lib. 4. contra Eunom. pag. 289. tom. 1. ed Par.

decimo Thesauri, ut colligat, si οὐσία minor non est, ne alia quidem ulla re esse posse, quum nullum insit Deo accidens. Ergo dictum illud potius honorem, quo Filius Patrem honorat, indicat, quam loquentis imminutionem.

Quod si ex posterioris interpretationis varietate aliquam sequi placet, audito prius Augustino, sic erudite (1) disserente „ *Propterea vero Patrem dicit esse majorem, quia seipsum exinanivit, formam servi accipiens, non amittens Dei: propter quam formam servi, non tantum Patre, verum etiam seipso et Spiritu Sancto minor factus est: nec tantum hac excellentissima Trinitate, sed etiam minoratus est paullo minor ab Angelis; hominibus quoque minor fuit, quando parentibus subditus fuit. Propter hanc utique formam servi, quam veniente plenitudine temporis exinanitus accepit, dixit*, Pater major me est. *Propter illam formam vero, quam nec exinanitus amisit, dixit*, Ego et Pater unum sumus, *et homo scilicet factus, et permanens Deus. Homo enim assumtus est a Deo, non in homine consumtus est Deus. Ideo valde rationabiliter et Patre minor est homo Christus, et Patri æqualis est idem ipse Deus Christus*. en (2) Petavii accuratiorem ceteris ex Cyrillo petitam *in eundem Joannis locum lib.* 10. *pag.* 848. *a.* „ Quia Pater in mera „ divinitatis gloria et splendore permansit, neque „ se ad humanæ conditionem vilitatis abjecit, re- „ cte

(1) In epist. 170. pag. 611. a. tom. 2. ed. Venet.
(2) Lib. 2. de Trinit. cap. 2. §. 12.

„ cte sequitur, gaudendum esse discipulis eo ipso, „ quod ad Patrem Christus redeat : nimirum quo- „ niam, posito mortali statu, vitaque tot ærumnis „ et calamitatibus, morti denique subjecta, pa- „ ternam aspiret ad gloriam. Quemadmodum si „ a paternis ædibus peregre profectus in longinquam „ regionem locupletissimi cujusdam Filius in squa- „ lore ac sordibus obsolescat, et ad patrem ideo „ redire gestiat, gaudere propterea debent qui il- „ lum amant, quod ad Patrem revertatur ; quo- „ niam ad ditiorem et fortunatiorem, hoc est, „ majorem ac potentiorem redeat : cujus opibus „ et splendore præsentem abstergat egestatem et „ ignominiam „.

Huc attinent duo illa Apostoli loca, *ad Col. cap.* I. *vers.* 14. Ὃς Χριστός ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, πρωτότοκος πάσης κτίσεως. *Qui* Christus *imago est Dei invisibilis, et auctor omnis creaturæ.* et *ad Hæbreos cap.* I. *ver.* 3. Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, φέρων τε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ.* Ac cum multiplex sit imaginis notio, duæ, altera significantior altera, heic possunt explicari. Prima, quæ in speculo repræsentatur, quæque non oris duntaxat corporisque formam magnitudinemque, sed motum etiam gestumque sese intuentis ostendit. Quam speculi similitudinem, quasi omnium aptis-

aptissimam ad divinæ imaginis in Verbo genus explicandum, Origenes *lib. primo* περὶ ἀρχῶν, *cap.* 2. et Gregorius Nyssenus *lib.* 12. *contra Eunom*. assumserunt, quod declarare ea maxime videatur, quomodo eadem, quæ in Patre inest, voluntas, idemque, ut ita dicam, motus, insit et in Filio. Altera, eaque perfectior, naturæ illa est, quæ scilicet generatione fit, atque in proprietatum nulla re discrepante similitudine, vel potius identitate, consistit. Hæc enim, præter figuram, lineamenta, ac motum ipsum; naturam insuper essentiamque prorsus eandem reddit, quæ in eo est, cujus appellatur imago; cuique non similis modo, sed natura etiam æqualis dicitur. Quamobrem verus ac proprius Dei Filius, qui paternæ substantiæ imago est, atque ejus gloriæ fulgor splendorque; illa in se omnia habere debet generatione transfusa, nec minus, quam sunt in Patre, perfecta; ut et ipse Deus sit, quæque cum divina natura conjuncta sunt, ex æquo possideat. Hinc recte (1) Chrysostomus ex illis Christi verbis, quibus Philippo Patrem suum videre cupienti seipsum proponit intuendum, effici concludit, ejusdem cum Patre illum esse naturæ substantiæque, quum οὐδεὶς, χρυσὸν ἀγνοῶν, ἐν ἀργύρῳ τοῦ χρυσίου τὴν οὐσίαν ἰδεῖν δύναται· οὐ γὰρ ἄλλη δι' ἄλλης φαίνεται φύσις· *nemo, aurum ignorans, in argento auri naturam possit cernere*: neque enim alia natura per aliam apparet. Et quidem,

(1) Homil. 74. in Joan. pag. 435. tom. 8. ed. Par.

dem, si naturam neque aliam, neque dissimilem ei, quem impassibiliter generabat, dedit, ut erudite definit (1) Hilarius, non potest aliam dedisse, nisi propriam. Ita similitudo proprietas est, proprietas æqualitas est, et æqualitas nihil differt: quæ autem nihil differunt, unum sunt non unione personæ, sed æqualitate naturæ.

Atqui imago rei alicujus est cum re altera similitudo, a qua diversa sit; ideoque haud proprie imago sui dicitur: sed nihilominus perfecta similitudo eorum, quæ reipsa invicem distinguuntur, potest in eo consistere, quod in utroque unum idemque est: ut in Deo fit, in quo similitudo et imago nihil ab æqualitate atque identitate differt. Neque porro imago Patris est Filius, quod, ut Pater naturam suam cum altero communicat, qui est Filius; ita Filius eandem det Spiritui Sancto; sicque convenientia sit in dando, differentia in accipiendo. Tantum enim abest, ut in eo conveniant ac similes sint, quod sicut Pater Filium gignit, ita Filius Spiritum Sanctum producit; ut vel maxime dissimiles sint: quoniam Filius non itidem Spiritum Sanctum generat, ut a Patre gignitur; sed dissimili ratione producit. Non est ergo in ea productione similis Patri Filius.

Præterea productio illa, qua Pater et Filius Spiritui Sancto communem substantiam tribuunt, una eademque in utroque est: neque enim duplex spiratio

(1) Lib. de Synodis pag. 1192. a. ed. Par.

ratio est, perinde ac paternitas et filiatio. Quare si propterea ex substantiæ, bonitatis, et omnipotentiæ consideratione Filius Patris imago dici nequit, quia summa est substantiæ unitas et identitas; atque ex personali proprietate imaginis notio ducenda est: non erit Filius imago Patris eo ipso, quod substantiam det Spiritui Sancto, quum activa, ut vocant, spiratio non sit personalis Filii proprietas, quatenus cum Patre confertur, uti conferri debet, dum illius imago dicitur. Sin est, ut imago nihilominus ob eam spirationem vocari possit, quoniam ex alia proprietate differt, qua non gignit Filius, ut eum Pater; nihil prohibet, quin similiter ejus, quod in ambobus idem est, essentiæ nimirum, ratione imago Filius dici queat, quum communi huic substantiæ proprietas personalis adjuncta sit, qua a Patre distinguitur. Perperam faciunt igitur, qui Filium paternæ substantiæ imaginem esse negant, id quod catholice de personali proprietate faciendum est: si namque Filius Patris, ut Pater est, id est ratione personalis proprietatis, imago foret, patrem et ipsum esse similiter oporteret: quoniam paternitatis non filiatio, sed paternitas similis est.

Tandem Ariani, ut Nicænæ professionis simplicitatem perpetua oblivione contererent, alias super aliis episcoporum Synodos congregarunt, in iisque variis artibus et subdolis verborum circumscriptionibus diversas prioribusque sæpe contrarias professionis formulas ediderunt: adeo ut undeviginti

ginti fere annis quatuordecim ab illis proditæ numerentur. Secunda fidei confeſsio ea fuit, quæ hanc Apolinarii opinionem, perſonato noſtro Baſilio oſtendente, amplectitur. Nam congregati Antiochiæ anno Chriſti CCCLXI. in Encæniis nonaginta epiſcopi, duplicem fidei ἔκθεσιν ediderunt, alteram altera de Filio honorificentius loquentem: quippe quæ eum vocat ἄτρεπτόν τε καὶ ἀναλλοίωτον· τῆς θεότητος, ὀυσίας τε καὶ βουλῆς, καὶ δυνάμεως, καὶ δόξης τοῦ πατρὸς ἀπαράλλακτον εἰκόνα, *converſionis et mutationis expertem: divinitatis, ſubſtantiæ, conſilii, poteſtatis, et gloriæ paternæ ſine ulla diſſimilitudine imaginem*. Addit etiam, θεὸν εἶναι τὸν Λόγον, *Deum eſſe Verbum*. Item, εἶναι τῇ μὲν ὑποστάσει τρία· τῇ δὲ συμφωνίᾳ ἕν, *hypoſtaſi quidem tria eſſe, concordia autem unum*. Denique anathematizat eos, qui ſentiunt, χρόνον, ἢ καιρὸν, ἢ αἰῶνα, ἢ εἶναι, ἢ γεγονέναι πρὸ τοῦ γεννηθῆναι τὸν υἱὸν. καὶ εἴτις λέγει, τὸν υἱὸν κτίσμα, ὡς ἓν τῶν κτισμάτων, *tempus, aut ævum, aut ſæculum eſſe vel fuiſſe, priuſquam Filius gigneretur. et ſiquis dixerit, Filium creaturam eſſe, tamquam unam ex creaturis*, ut eſt apud Athanaſium *lib. de Synodis pag. 736. ed. Par.*

Ex hac, eaque contra Paulum Samoſatenum condita, aliam ſimillimam concinnarunt Semiariani, quam Liberius Papa concordiæ gratia approbavit: Filium enim Patri per omnia ſimilem, adeo-

adeoque ejus usiæ substantiæve asseverabat. Merito igitur S. (1) Hilarius miserabile esse clamitat, tot tunc fides existere, quot voluntates; tot ipsis doctrinas esse, quot mores; tot demum caussas blasphemiarum pullulare, quot vitia erant. Postremo, etiamsi in nonnullis de memoratis fidei formulis nonnulla pie catholiceque dicta videantur, fallunt tamen omneis subdola captiosaque ambiguitate, et arcanum pestiferi mysterii occultant.

8. *Principium Pater, principium Filius, qui ergo, etc.*) Pergit referre male sanam Apolinarii sententiam de Trinitate, et ad Priscilliani mentem „ Pater et Filius, inquit, subsistunt per se „ quisque a suo principio. Quo igitur pacto con„ substantiales sunt „?

Nomen τῆς ἀρχῆς, quod alias late patet, septem usurpari modis docet Aristoteles *Metaph. lib.* 4. *cap.* 1. sed duas celebres maximeque considerandas notiones vox habet, alteram, ut sit principium, a quo aliquid oritur, quocumque id modo fiat, sive in tempore, sive ex omni æternitate, dum ab aliquo originem capiat: alteram, ut sit initium existendi, quando res, quæ antea non erat, esse jam incipit. In duabus hisce notionibus tota catholicos inter et Arianos controversia vertitur. Si ἀρχὴ pro initio sumitur posteriore modo, non est principium Filii Pater; sed uterque est ἄναρχος. Hæretici tamen Patrem Filii principium

f

(1) Lib. 2. ad Constantium August. pag. 1227. b. ed. Par.

cipium respectu generationis faciunt, dum ajunt apud (1) Chrysologum, Filium, quia generatur, principium sumere. Verum iis mature occurrit (2) Cyrillus, inquiens: Ὥσπερ αὐτὸς ὁ πατὴρ ἄναρχός ἐστι καὶ ἀγέννητος, οὕτω καὶ ὁ ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ προελθὼν Λόγος, ἄναρχος, ἄχρονος ἔσται καὶ ἀγέννητος, ὥσπερ ὁ ἀποκυήσας αὐτόν. *Quemadmodum Pater ipse principii atque ortus expers est; ita et Verbum, quod ex ipsius substantia processit, principio, tempore, ortuque carebit, perinde atque is, qui ipsum genuit*. Itaque subdola est Arii sociorumque expostulatio *in Epistola ad Eusebium Nicomediensem*: Διωκόμεθα δὲ, ὅτι εἴπομεν, ἀρχὴν ἔχει ὁ υἱὸς· ὁ δὲ Θεὸς ἄναρχός ἐστι. *Persecutionem ideo patimur, quod diximus, Principium habet Filius: Deus autem principio caret*. Ipsi enim ἀγέννητον, *ingenitum* (quod cum ἀγενήτῳ, *infecto increatoque*, miscebant) idem esse volebant atque ἄναρχον· quasi nihil habere principium possit, quod sit æternum; neque principii vis alia sit, quam ut ab eo fiat aliquid, quod antea non erat.

Primæ autem notionis vocabulum duplicem originem designat, alteram creationis sive effectionis, alteram naturalis productionis. Priore modo usurpata vox tribus divinis personis congruit; posteriore soli Patri, utpote Filium gignenti: Patri autem et Filio, tamquam Spiritum Sanctum producentibus. Inde

(1) Serm. 60. pag. 300. ed. Raynandi Lugdun.
(2) Lib. 5. Thes. pag. 35. b. tom. 5. part. 1.

Inde vero existit μοναρχία illa, quam tantopere Ariani pariter et nostri disputando contriverunt, quæque Patri veluti præcipuum solet assignari, ut sit omnium principium tam creatorum, quam increatorum, quia fons est et origo τοῦ ὄντος, *entis* universi. Hinc orta quorumdam opinio, unum esse summum et ingenitum, qui nec animo capi, nec sermone declarari, nec ullum cum creatis usum et commercium habere possit: ab eo autem aliquod inferioris principii ac numinis genus esse productum, quod omnia deinceps procrearit. Attamen nonnulli Patres Filio tamquam proprium et διακριτικὸν arrogant nomen, quum illum peculiari modo principium dici significent, qui idea et exemplar est, quo Pater universa molitur. Atque hoc sensu Augustinus, Hieronymus, Origenes, Beda, aliique complures Mosis illa verba declarant : בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ *In-principio creavit Deus cœlos et terram*, ut sit בבן, *in Filio*.

Clemens *Stromatum Lib. VII. pag.* 838. *lin.* 2. *ed. Oxon.* Filium δεύτερον αἴτιον, *secundam caussam*, vocat; non tamen duo principia statuit, ut quibusdam visum est. Verum ex unitate principii, a quo, velut a fonte, divinitas existit, et ad idem revocatur, individuam ejus unitatem asserit. Quamvis enim tres sint, quibus Dei nomen naturaque communis est; tamen, quoniam unus ex illis ceterorum veluti principium est, a quo οὐσιωδῶς de ejus substantia interiori productione pro-

pagantur; fit, ut unica singularisque divinitas in tribus inesse dicatur. Hinc orta Judæorum ac Gentilium calumnia, Christianos ob Trinitatis professionem tres asseverare Deos opinantium. At tria principia non constituimus, sed unicum, ex intima cujus substantia Filium esse, atque ex utroque mutui amoris Spiritum procedere, profitemur. Ariani vero illi calumniæ obnoxii sunt, qui Filium extrinsecus satum, et Spiritum Sanctum ex nihilo procreatum, existimant. Quo fit, ut plures Deos *διὰ τὸ ἑτεροειδὲς, ob naturæ diversitatem*, esse sentiant. Hinc (1) Basilius, *ὁ μὲν ἀρχὰς εἰσάγων δύο*, inquit, *δύο κηρύττει θεὺς· qui duo principia inducit, duos prædicat Deos*, ut Marcion. Sic Priscillianistæ, qui Filium innascibilem esse ajebant, duo principia constituebant, ut est in (2) Toletano primo Concilio, in Symphosii episcopi professione. Verum si duo principia sunt, duo patres, sive innati, sint necesse est; hincque natura dissimiles, et duo Dii.

Atqui Calvinus *in* (3) *Lib.I. Institutionum* illud Patribus affingit, quasi doceant, *nunc Patrem Filii principium esse, nunc Filium a seipso et divinitatem et essentiam habere*, (quorum prius verum est, posterius falsissimum, neque ab ullo catholico pronunciatum.) Quibus verbis subdole atque imperite hæc addit: *adeoque unum esse cum Patre principium*, quasi

(1) Homil. 24. contra Sabell. Arium ut Anom. tom. 2. pag. 192. b. ed. Par.
(2) Tom.3. collect. Concil. Paris. an.1644. pag. 579.
(3) Cap. 13. §. 19. pag. 30. tom. 9. ed. Amstel.

quasi unum esse cum Patre principium, idem sit, atque a seipso divinitatem et essentiam habere. Sane (1) Augustinus Deum Patrem et Filium unum principium, sicut unum Deum, esse definit; non duo principia, ut nec duos Deos: neque tamen Filium divinitatem et essentiam a se habere ait. Sunt enim ambo hæc magnopere diversa: siquidem non eodem sensu Filius unum cum Patre principium dicitur, quo Pater Filii principium, quod est divinitatem et essentiam communicare Filio. Nihil autem Calvinum juvat, quod Filii essentiam principium non habere Lateranense Concilium quartum (2) decreverit. Ea enim Synodus eatenus genitam dici Filii essentiam non probat, quatenus existendi originem habere significat, quo modo nefas est dictu, gigni essentiam Filii. Atque hoc tandem Filium inter et Patrem interest in communi principii ratione, quod Pater principium dicitur comparatus ad Filium, Filius ad res creatas: utrobique autem principii non absoluta, sed relativa notio est. Hinc (3) Augustinus, *Pater*, inquit, *principium non de principio: Filius principium de principio. Sed utrumque simul, non duo, sed unum principium.*

Eusebius quidem *de* (4) *Demonstrat. Evangelica*

f 3 Filium

(1) In Psal. 109. pag. 1238. d. tom. 4. ed. Venet. & Tract. 39. in Joan. pag. 561. c. tom. 3. par. 2.

(2) Cap. 2. pag. 158-59. tom. 24.

(3) Lib. 2. contra Maximum Arianum, cap. 17. pag. 716. e. tom. 8.

(4) Lib. 4. cap. 3. pag. 147. d. ed. Par.

Filium esse dicit *καθ' ἑαυτὸν οὐσιωμένον, per se substantiatum*. et (1) rursus, Verbum divinum per se *οὐσιῶσθαι, substantiatum esse* docet; sed ut probet, non esse Filium, ut Sabelliani fingebant, *κατ' ἐπίνοιαν*, solaque cogitatione a Patre diversum; verum per se solideque subsistentem. Quo modo *τὸ οὐσιοῦν, essentiare*, ita acceptum, ut sit essentiam communicare alteri, de æterna Filii generatione usurpari potest, sicut et *substantiare*: quod alioquin falsum est, non esse aliud, quam *creare*, ut Calvino videtur *libro de Impietate Valentini Gentilis pag.* 579. *col.* 1. *tom.* 8. ubi actum essentiandi necessario id secum trahere putat, ut qui ante non erat, esse inceperit; atque inde fœdissimo errore colligit, Christum non alio jure Deum censeri, nisi quod dono acceperit, quod non habebat; sicque in Trinitate funditus evertit, quod aliter aperte profiteri videtur, generari a Patre Filium. Neque enim generatio sine alicujus rei communicatione potest animo concipi: rei autem non alterius, quam naturæ, essentiæ, substantiæ; cum sit *οὐσιώδης, substantialis* productio, in quo ab reliquis propagationibus, quæ secundum qualitatem quantitatemque fiunt, generatio discrepat.

Cæterum si generatione communicatur essentia Filio, utique hic non a se, sed a Patre essentiam habet, (2) Damasceno teste, naturaliter ac proprio

(1) Lib. 5. cap. 1. pag. 215. b.
(2) Lib. 1. de fide orthod. cap. 8. pag. 138. a tom. 1. ed. Par.

prio jure, quatenus vera generatione productus. quo quidem modo αὐτόθεος et αὐτοούσιος est. Sin vero utrumque nomen sic usurpatur, ut a seipso, nec ab alio, essentiam divinitatemque haberi quoquo modo significet, solus sibi Pater vindicabit: quoniam essentia neque ita gignit essentiam, ut ei absolutam existentiam tribuat; neque sic gignitur, ut existat. Sed generare, cum ad essentiam pertinet, est generando communicare; gigni autem, est communicari. Quamobrem insulsa atque inscitiæ plena assertio illa habenda est, beneficii jure vel precario Filium a Patre essentiam habere, quasi adventitiam alienamque rem.

9. *Primi in secundum distributio non accidit, quemadmodum, etc.*) Ad evertendam generationis in divinitate fidem multa opponebant hæretici, præsertim Ariani, ex naturæ usu sensuumque experientia petita. Primo objiciebant, generandi notionem adjunctum habere πάθος affectionemque indignam Deo. Si enim, ajebant, e substantia sua et hypostasi Filium genuit, necesse est, collatationem, contractionem, imminutionem, sectionem, et hujusmodi alia contigisse Deo. Proinde genitum a Patre Filium ea generatione asseverabant, quæ ex gignentis voluntate fit, ut non vera et propria sit, sed a creatione affectioneque nihil discrepet; nec ulla per eam intercedat substantiæ et naturæ trajectio, sed prorsus externum atque a producente alienum aliquid existat. Hinc

apud (1) Nyssenum Eunomius asserit, γεγεννῆσθαι παρὰ τοῦ πατρὸς τοῦ υἱοῦ τὴν οὐσίαν οὐ κατὰ ἔκτασιν προβληθεῖσαν, οὐ κατὰ ῥεῦσιν ἢ διαίρεσιν τῆς τοῦ γεννήσαντος συμφυΐας ἀποσπασθεῖσαν, οὐ κατὰ αὔξησιν τελειωθεῖσαν, οὐ κατὰ ἀλλοίωσιν μορφωθεῖσαν· μόνῃ δὲ τῇ βουλήσει τοῦ γεννήσαντος τὸ εἶναι λαχοῦσαν· *genitam esse a Patre Filii essentiam non per abscessum projectam, non per defluxum vel divisionem ab ejus, qui genuit, conjunctione avulsam, non per incrementum perfectam, non per alterationem transformatam; sed sola gignentis voluntate, ut esset, sortitam*. Cui quidem argumento occurrunt Patres docendo, non idem de divina et spirituali generatione sentiendum esse, quod in creata et corporea cernitur; ac generari in divinis non esse viam quamdam, sive motionem ad rei existentiam, ut in creatis usu venit; sed idem, atque ipsum terminum et rem genitam.

Præterea, quum generatio simpliciter dicta definiatur ab (2) Aristotele ἡ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ἁπλῶς εἰς οὐσίαν, *ea, quæ ex non existenti simpliciter in substantiam est*; ad eam definitionem Ebion et Artemas, ab ipsisque Arius sociique adhæserunt: unde famosum illud, et a Patribus damnatum carmen erupit: De non extantibus venisse Filium; ac fuisse aliquando, quum nondum existebat. Quare procul a divinis arcenda est generationis ista ratio,

(1) Lib. 3. pag. 109. a. tom. 2. ed. Par.
(2) Phys. lib. 5. cap. 1.

ratio, quæ solis rebus creatis corruptionique obnoxiis accidit; verum simplicior quædam et communior advocanda: quoniam quæque vox vocisque notio, quo generalior est, et a singularibus conditionibus abductior; eo aptior est, quæ ad Deum transferatur. Quamobrem sancte monet (1) Nyssenus: Κατάβαλέ σου τὰς ῥεύσεις, καὶ τὰς διαιρέσεις, καὶ τὰς τομὰς, καὶ τὸ ὡς περὶ σώματος διανοεῖσθαι τῆς ἀσωμάτου φύσεως, καὶ τάχα ἂν ἄξιόν τι διανοηθείης Θεοῦ γεννήσεως. *Tuas illas fluxiones, divisiones, et sectiones prius abjice; ac de incorporea illa natura, quasi de corporea, disputare desine; atque ita fortasse dignum aliquid generatione divina concipere animo poteris*. Cæterum ut percipiatur, quì fiat in divinis generatio, præsumendum est, divinitatem ipsam, sive naturam essentiamque Dei, non sterilem atque infœcundam, sed genitali vi præditam et communicabilem: tum demum propriam generationis notionem, dempto eo, quod imperfectum est, in divini Verbi productionem reipsa competere, in qua, ut notat (2) Basilius, οὐκ ἔστιν ἐπινοῆσαι τομὴν, ἢ διαίρεσιν κατ' οὐδένα τρόπον, *nullo modo sectio aut divisio potest excogitari*.

Secundo ita pugnabant Ariani: Cum genuisse Filium Pater dicitur, eo ipso gignendi initium aliquod

(1) Orat. 35. contra Arianos pag. 567. a. tom. 1. ed. Par.
(2) Epist. 38. pag. 118. e. tom. 3. ed. Par.

quod fuiſse oſtenditur. Porro, vel gignendi finem fecit, vel non fecit. Si prius fatemur, ergo initium habuit. Sin poſterius, imperfecta erit productio. Eſt enim generatio velut progreſsio quædam ad aliquid producendum: quod ubi profectum extitit, generatio ipſa deſinit: quemadmodum progreſsio omnis tum finem accipit, quum, quo tendit, eo pervenit. At generationis illius æternæ ratio diſsimilis plane eſt creatarum rerum productioni. Verbum enim ſuum ex æterno genuit, et in æternum gignet Pater: quia quicquid initio caret, finem nec habiturus eſt, nec habere omnino poteſt. Τὸ γὰρ ἀρχόμενον, inquit (1) Nyssenus, καὶ παυόμενον, ἐν παρατάσει τινὶ θεωρεῖται πάντως. πᾶσα δὲ παράτασις χρόνῳ διαμετρεῖται. χρόνου δὲ μὴ ὄντος, ᾧ καὶ τέλος τοῦ τόκου, καὶ ἀρχὴν σημειούμεθα, μάταιον ἂν εἴη τέλος καὶ ἀρχὴν ἐπὶ τῆς ἀδιαστάτου γεννήσεως ἐννοεῖν. *Quod enim incipit ac deſinit, in quadam intervalli extenſione prorſus ſpectatur. Omnis autem extenſio temporis menſura continetur. Ubi vero non eſt tempus, quo et finem et initium pariendi deſignemus, vanum eſt, finem et principium in ea generatione, quæ dimenſione caret, intelligere.* Homo vero, conficit (2) Cyrillus, ἐπειδὴ τοῦ εἶναι ἤρξατο, ἀναγκαίως καὶ τοῦ τίκτειν ἄρχεται, *quum exiſtendi initium habeat, gignendi etiam initium*

(1) Lib. 8. contra Eunom. pag. 233. a. tom. 2.
(2) Lib. 5. Theſaur. pag. 35. a. tom. 5. par. 1. ed. Par.

tium habuerit necesse est. Itaque æterni Patris Filius, qui semper fuit, nasci non potuit : quum communis sensus docere videatur, quod semper fuit, natum non esse : quandoquidem nihil aliud est nasci, quam esse, quod non fuit. Quare si natus est, cœpit; et cum cœpit, non semper fuit. Sed aliud est ex eo nasci, qui aliquando non fuit; aliud ex eo, qui semper est. Ergo, dicam cum (1) Augustino, *et semper gignit Pater, et semper nascitur Filius*, ut qui neque prius extitit, quam gigneretur; neque non extitit, priusquam gigneretur; sed uti nunquam non genitus est, ita nunquam non extitit. Quod ex duobus Scripturæ locis concluditur; *ex Psalm.* 110. מרחם משחר לך טל ילדתך, (2) sive, juxta Septuaginta, 109. *ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε*. *ex utero ante luciferum genui te*; et *Cap.* I. *Joannis* : Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, *in principio erat Verbum*.

His licet invictis argumentis præmissis, laudanda, mea quidem sententia, est imitandaque Theologorum sanctissimorum eruditissimorumque modestia, qui hoc uno contenti, quod et simplex fidei disciplina tradidit, et in sacris litteris ostenditur; nefas esse judicarunt, ultra hoc inquirendo disputandoque progredi. Basilius *Homil. adversus calumniatores S. Trinitatis pag.* 611. *c. tom.* 2.

πιστ-

(1) Epist. 238. pag. 861. d. tom. 2. ed. Ven.
(2) De lectionis hujus varietate, locique expositione videsis Lorinum in Psalmos, tom. 3. pag. 340.

Πιςεύεις, ὅτι γεγέννηται; μὴ ζήτει, πῶς; ει γὰρ ἐνδέχεται ζητεῖν ὁ ἀγέννητος, πῶς ἀγέννητος, ἐνδέχεται ζητεῖν καὶ ὁ γεγεννημένος, πῶς γεγέννηται. εἰ δὲ ἐ καταλείπει ζήτησιν ὁ ἀγέννητος, πῶς ἀγέννητος· ὕτως ὐδὲ ὁ γεγεννημένος καταλείπει ζητεῖν, πῶς γεγέννηται. μὴ ζήτει τὰ ἀνεύρετα· ὐ γὰρ εὑρήσεις.... εἰ δὲ μὴ θέλεις, ἀλλὰ φιλονεικεῖς, καταγελῶ σε τῆς ἀνοίας, μᾶλλον δὲ κλαίω σε τὴν τόλμαν. *Credis, genitum esse? ne quære, quomodo? Si enim licet quærere, quomodo ingenitus sit ingenitus; licet et quærere, quomodo genitus sit genitus. Quod si quæstioni isti nullus locus relinquitur, quomodo ingenitus non sit genitus; ita neque genitus inquirendum relinquit, quomodo sit genitus. Cave, quaeras quæ investigari non possunt; neque enim invenies.... Sin vero reniteris, et contentiose pergis; derideo amentiam tuam; imo potius deploro audaciam tuam.* Nazianzenus *Orat.* I. *de Filio pag.* 567. *b.* Μέγα σοι τὸ μαθεῖν, ὅτι γεγέννηται. τὸ δὲ πῶς; ὐδὲ Ἀγγέλοις, μὴ ὅτι γέ σοι ἐννοεῖν συγχωρήσομεν. *Abunde magnum tibi est scire; eum esse genitum: quo autem modo genitus sit, ne ipsis quidem Angelis, nedum tibi intelligere concesserim.* Cyrillus Hierosol. *Catech.* II. *n.* 19. Ὅτι μὲν ὁ Θεὸς υἱὸν ἔχει, τῦτο πίςευε· τὸ δὲ πῶς, μὴ πολυπραγμόνει. ζητῶν γὰρ ὐχ εὑρήσεις. *Quod quidem Filium Deus habeat, illud crede: quomodo vero, ne curiosus quærito; neque enim quærendo reperies.* Chrysostomus

Orat.

Orat. 1. *de Incomprehensibili pag.*447. *d. tom.*1. *ed. Par.* Οἶδα, ὅτι ἐγέννησεν υἱὸν· τὸ δὲ πῶς; ἀγνοῶ. Οἶδα, ὅτι τὸ πνεῦμα ἐξ αὐτοῦ· τὸ δὲ πῶς ἐξ αὐτοῦ, οὐκ ἐπίσταμαι. *Scio, quod Filium genuit: quomodo autem, ignoro. Novi, Spiritum ex ipso esse: quomodo vero ex ipso sit, nescio.* Hilarius denique *lib.* 2. *de Trinit. pag.* 795. *a. ed. Par.* de inenarrabili Filii generatione dicturus, *Aestuo*, inquit, *differor, hebesco, et unde incipiam, nescio. Nescio enim quando natus sit Filius, et nefas est mihi nescire, quod natus sit.*

10. *Patris proprietas, in paterna permanens, in Filii proprietatem processit.*) Sabellianismus ex orthodoxa positione inscite deductus! Nam dicit de proprietatibus, quod de attributis dicendum erat. Concedimus quidem, omnia Patris attributa inesse Filio, et Filii Patri, quatenus substantiæ ratione alter ita in altero est, ut uterque unum sit. Concedimus igitur quod colligitur ex ipsius Christi verbis *apud Joan. cap.* 16. *vers.* 15. Πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατὴρ, ἐμά ἐστιν. *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt*, et *cap*, 17. *vers.* 10. Καὶ τὰ ἐμά πάντα σά ἐστι, καὶ τὰ σὰ ἐμά. *Et mea omnia tua sunt, et tua mea*; sed hanc personarum proprietatumque confusionem totis viribus abjicimus. Christiana enim veritas docet, Filium e. g. unum cum Patre ac Spiritu sancto esse Deum, unam videlicet esse numero trium essentiam, personas vero tres, totidem proprietatibus distinctas. Nam divinam

nam essentiam, sive rem illam, quam Deum vocamus, unam numero esse dicimus, qua est absolutum quiddam: tria autem, qua relativum est et proprietatibus implicatum. Quæ quidem præcipuæ proprietates sunt, in Patre paternitas et ingenitum, in Filio filiatio et genitum, in Spiritu sancto processio et spiratio. Quod innuit Basilius *epist.* 38. *ad Greg. fratrem seg.* 4. hisce verbis.

„ Spiritus sancti secundum hypostasim proprie-
„ tas hoc signo declaratur, quod post Filium et
„ cum Filio cognoscitur, quodque ex Patre subsi-
„ stit. Filius vero, qui ex Patre procedentem Spi-
„ ritum per sese et secum notum facit, ac solus
„ unigenite ex ingenita luce effulsit, nullam,
„ quod ad signorum, quibus dignoscitur, proprie-
„ tatem attinet, cum Patre aut Spiritu sancto
„ communitatem habet; sed suis signis solus agno-
„ scitur. Qui autem est super omnia Deus, præci-
„ puam quandam suæ hypostasis notam, quod Pa-
„ ter est, quod nulla ex caussa subsistit, solus
„ habet; hocque rursus indicio et ipse proprie co-
„ gnoscitur. Quapropter in essentiæ communitate
„ nec cohærere, nec communicari posse dicimus,
„ quæ considerantur in Trinitate indicia, per
„ quæ proprietas constituitur traditarum in fide
„ personarum, unaquaque propriis indiciis discrete
„ intellecta; ita ut ex ipsis indiciis hypostaseon dif-
„ ferentia deprehendatur. At vero quantum atti-
„ net ad id, quod immensum est, quod compre-
„ hendi non potest, quod creatum non est, quod

„ lo-

„ loco nullo circumscribitur, et ejusmodi reliqua, „ discrimen nullum est in vivifica natura, in Pa- „ tre inquam, et Filio, et Spiritu sancto; sed „ continua quædam et indivisa societas in ipsis „ perspicitur. Ac per quas quis cogitationes ma- „ jestatem unius earum, quæ in Trinitate credun- „ tur, personarum intellexerit, per easdem sine „ ullo prorsus discrimine procedet, in Patre et „ Filio et Spiritu sancto gloriam et majestatem „ cernens, nullo inter ipsas intercedente spatio, „ in quo mens velut vacuo obambulet. Nihil enim „ est, quod inter ipsos medium inseratur: neque „ præter divinam naturam ulla alia res subsistens, „ quæ ipsam a seipsa rei alienæ interpositu divi- „ dere queat: neque spatii cujuspiam non subsi- „ stentis vacuitas intercedit, quæ divinæ essentiæ „ harmoniam hiulcam efficiat, continuum interje- „ ctu vacui dirimens. Sed qui Patrem intellexit, „ et eum in seipso intellexit, et Filium animi „ perceptione simul est complexus: qui autem per- „ cepit Filium, a Filio Spiritum non separavit; „ sed consequentur quidem secundum ordinem, „ conjuncte vero secundum naturam trium simul „ permixtam in seipso fidem expressit. Neque „ enim potest ullo modo sectio aut divisio excogi- „ tari, ita ut aut Filius sine Patre intelligatur, aut „ Spiritus sejungatur a Filio; sed in his ineffabilis „ quædam et incomprehensibilis deprehenditur „ tum societas, tum distinctio neque hypostaseon „ differentia naturæ conjunctionem divellente, ne-

„ que

„ que essentiæ communitate indiciorum proprietatem confundente „ .

Mox Iridis exemplo unitatem essentiæ, et personarum distinctionem illustrat, conficitque, hypostaseon quidem proprietates, ceu quemdam florem eorum, quæ in Iride apparent, in singulis personis, quæ in sancta Trinitate creduntur, effulgere: nullam vero, quod ad naturæ proprietatem attinet, alterius ab altero discrimen intelligi; sed in essentiæ communitate proprietates, per quas unaquæque persona dignoscitur, in unaquaque resplendere.

11. *Quandoquidem Dominus etiam est Spiritus.*) Temere hic loci Eustathius bonam caussam Basilio adjudicat, atque invitus testimonium perhibet de illius sententia super divinitate Spiritus sancti. Quum per id temporis Pneumatomachi, duce Eustathio ipso Sebasteno, vehementer furerent, nonnulli ex catholicis, etsi Deum ac Dominum Spiritum sanctum esse non dubitabant, pacis tamen et concordiæ studio publice id minime profitebantur. Talis fuit aliquando Basilius ipse, quod luculento testimonio Nazianzenus asserit *in Oratione vigesima illius funebri pag.* 364. *b.* ubi refert, quosdam Basilio insidiatos esse, ac publicos ejus sermones diligenter observasse, an Deum esse sanctum Spiritum nominatim diceret, ut ejiciendi illius e sede sua occasionem inde caperent: Οἱ μὲν ἐζήτουν λαβέσθαι γυμνῆς τῆς περὶ τοῦ πνεύματος φωνῆς,

νῆς, ὡς εἴη Θεὸς (ὅπερ ὂν ἀληθὲς, ἀσεβὲς ἐκείνοις ὑπελαμβάνετο, καὶ τῷ κακῷ προστάτῃ τῆς ἀσεβείας) ἵνα τὸν μὲν τῆς πόλεως μετὰ τῆς θεολόγου γλώσσης ὑπερορίσωσιν. αὐτοὶ δὲ κατασχόντες τὴν ἐκκλησίαν. *Illi quidem nudam et apertam vocem de Spiritu sancto, quod Deus esset, arripere studebant (quod quum verum sit, impium tamen illis, atque improbo impietatis antistiti videbatur) ut eum cum Theologica lingua civitate pellerent, ipsi autem ecclesiam occuparent*. Horum igitur conatus ut eluderet Basilius, Dei ac Domini appellatione, cum de Spiritu sancto periculose ageret, pacis ergo abstinuit, non sine præfatione veniæ, quam ab catholicis propterea petiit. Gregorio autem Nazianzeno, amicorum intimo, demandavit, ut, quo minus propter invidiæ obscuritatem patebat, sancti Spiritus divinitatem palam publiceque profiteretur, dum ipse, tempora illa verens inimica pacis fideique catholicæ, rem solam citra divinitatis vocem usurparet. Rogatus enim ab illo fuerat per epistolam 26. *pag.* 790. *d.* ut se doceret, quas voces in prædicanda Spiritus sancti divinitate usurpare, et quousque œconomia uti, conveniret: nimirum ut iis satisfieret, et qui nimium jejune divinitatem sancti Spiritus prædicari, et qui plus æquo illum extolli, querebantur.

Potissimam caussam, cur Dei ac Domini voce in prædicanda Spiritus sancti divinitate interdum abstinuerit, *epistola* 113. *ad presbyteros Tarsenses*

g *pag.*

pag. 206. *b.* indicat his verbis : Εὐεργεσία δέ ἐςιν ἑνωθῆναι τὰ τέως διεσπασμένα. ἕνωσις δ' ἂν γένοιτο, εἰ βυληθείημεν, ἐν οἷς μηδὲν βλάπτομεν τὰς ψυχὰς, συμπεριενεχθῆναι τοῖς ἀσθενεςέροις. ἐπεὶ ἦν πολλὰ ςόματα ἤνοικται κατὰ τῦ πνεύματος τῦ ἁγίυ, καὶ πολλαὶ γλῶσσαι ἠκόνηνται εἰς τὴν κατ' αὐτῦ βλασφημίαν, ἀξιῦμεν ὑμᾶς, ὅσον ἐςὶν ἐφ' ὑμῖν, εἰς ὀλίγον ἀριθμὸν περιςῆσαι τὺς βλασφημῦντας, καὶ τὺς μὴ λέγοντας κτίσμα τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον δέχεσθαι εἰς κοινωνίαν, ἵνα μόνοι καταλειφθῶσιν οἱ βλάσφημοι, καὶ ἢ καταισχυνθέντες ἐπανέλθωσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἢ ἐπιμένοντες ἡ ἁμαρτίᾳ ἀναξιόπιςοι ὦσι διὰ τὴν ὀλιγότητα. μηδὲν τοίνυν πλέον ἐπιζητῶμεν, ἀλλὰ προτεινώμεθα τοῖς βυλομένοις ἡμῖν συνάπτεσθαι ἀδελφοῖς τὴν ἐν Νικαίᾳ πίςιν, κἂν ἐκείνῃ συνθῶνται, ἐπερωτῶμεν καὶ τὸ μὴ δεῖν λέγεσθαι κτίσμα τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, μηδὲ κοινωνικὺς αὐτῶν εἶναι τὺς λέγοντας. περὶ δὲ τύτων ἀξιῶ, μηδὲν ἐπιζητεῖσθαι παρ' ἡμῶν. *Emolumentum est, membra prius divulsa conjungi. Fiet autem conjunctio, si velimus, quibus in rebus animas non lædimus, in his nos ad infirmiores accommodare. Cum igitur ora multa in Spiritum sanctum aperta sint, ac linguæ multæ ad jaciendas in illum blasphemias exacutæ : rogamus vos, ut quantum in vobis est, ad parvum numerum blasphemantes redigatis ; et qui Spiritum sanctum creaturam esse non dicunt, eos in communionem recipiatis, ut blasphemi relin-*

linquantur soli, ac vel pudore suffecti ad veritatem redeant, vel si in peccato manent, auctoritate careant ob paucitatem. Nihil igitur amplius exposcamus; sed volentibus nobiscum conjungi fratribus Nicænam fidem proponamus: ac si ei assentiuntur, illud quoque exigamus, Spiritum sanctum creaturam dici non oportere; eosque, qui dicunt, recipi ab ipsis in communionem non debere. præter quæ nihil exposcendum esse censeo.

Hæc Basilii agendi ratio nonnullis olim indignationem movit, nec desunt hodie, qui ejus in ea re animi fortitudinem et constantiam requirant, moderationemque et lenitatem longius productam exprobrent. Et sane quum olim Nazianzi in quodam convivio Basilius pleno ore laudaretur, quidam monachus monasterii S. Eupsychii violenter insurgens, mendaces et adulatores appellavit convivas, quod laudibus fidei proditorem extollerent, quem de Patre quidem Filioque mirifice, perperam de Spiritu sancto, disserentem audierat. Tum Gregorius, ad scandala removenda, malaque impendentia devitanda prudenter a Basilio id fieri, respondit; ac cum avide hæretici occasionem appeterent illius ejiciendi, ut, occupata ejus sede libere in ecclesias grassarentur, multo satius esse unam voculam, sententia in tuto posita, prætermittere, quam fideles tanto discrimini objicere. Non placuit audientibus hæc oratio, imo ut longe petitam et cavillantem rejecerunt; atque ipsum Gregorium, tamquam parum sanæ doctrinæ, con-

 sulen-

sulentem, clamoribus insectati sunt, quod longe præstet, catholicos veritate prædicanda tueri, quam eo temperamento debilitare.

Hae aliaeque monachorum Cappadociæ querelae ad S. Athanasii aures cum pervenissent, ipse per litteras *ad monachos Cæsarienses* Basilii œconomiam valde laudavit, quod infirmorum gratia studium defendendæ Spiritus Sancti divinitatis temperasset; quin etiam *ad Joannem et Antiochum pag.* 956. nec non *ad Palladium presbyterum pag.* 957. *tom.* 1. *par.* 2. *ed. Par.* hisce verbis: Αὐτὸς μὲν γὰρ, ὡς τεθάῤῥηκα, τοῖς ἀσθενοῦσιν ἀσθενὴς γίνεται, ἵνα τοὺς ἀσθενεῖς κερδήσῃ. οἱ δὲ ἀγαπητοὶ ἡμῶν ἀποβλέποντες εἰς τὸν σκοπὸν τῆς ἀληθείας αὐτοῦ, καὶ τὴν οἰκονομίαν, δοξαζέτωσαν τὸν κύριον, τὸν δεδωκότα τῇ Καππαδοκίᾳ τοιοῦτον ἐπίσκοπον, οἷον καὶ ἑκάστη χώρα ἔχειν εὔχεται. *Ipse enim* Basilius, *ut confido, cum infirmis infirmatur, ut infirmos lucrifaciat. Dilecti autem nostri, respicientes ad propositum veritatis illius et œconomiam, glorificent Dominum, qui talem dedit Cappadociæ episcopum, qualem unaquæque regio cupit habere.*

Cæterum Basilius, quoties opportuna sibi fuit occasio, Deum esse Sanctum Spiritum diserte professus est, ut, puta, *epistola* 8. *seq.* 2. inquiens, δέον ὁμολογεῖν θεὸν τὸν πατέρα, θεὸν τὸν υἱὸν, θεὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· ὡς οἱ θεῖοι λόγοι, καὶ οἱ τούτους ὑψηλότερον νενοηκότες ἐδίδαξαν

δάζαν · *confiteri oportere Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, uti eloquia divina, quique ea sublimius intellexere, docuerunt*. Praeterea non Deum modo illum nominavit, sed eos etiam refellit, qui ab hujusmodi vocabulo abstinendum putabant. *In quinto contra Eunomium libro pag.* 299. *tom.* 1. *ed. Par.* Deum esse colligit ex eo, quod et peccata condonet, et eandem cum Patre Filioque naturam habeat atque operationem. Mitto denique innumerabilia loca, in quibus ea, quæ unius divinitatis propria sunt, Spiritui Sancto tribuit, velut communiter cum Patre et Filio adorari, non esse creaturam. quod *in libro de S. S. quinto contra Eunomium* commemorato, et *epistolis* 8. 90. 125. 140. demonstrat.

Denique Origenianum errorem, Spiritum Sanctum meram esse creaturam, prima omnium Alexandrina Synodus, post Constantis obitum Athanasio præside. celebrata, damnavit, atque eumdem Spiritum Deum habendum esse decrevit. Postea Damasus Papa in altero, quod Romæ contra Apolinarium et Eustathium habuit, Concilio plene ac manifeste Spiritus Sancti divinitatem, æqualemque cum personis reliquis dignitatem potestatemque exposuit. Ac Toletana Synodus undecima *in fidei professione contra Pneumatomachos* disserentes „ Si Spi„ ritus Sanctus Deus est, aut est *ἀγέννητος*, *ingenitus*, „ aut *γεννητὸς*, *genitus*. Si est ingenitus, duo erunt „ principii expertes. Sin autem genitus, vel ex „ Patre, vel ex Filio. Si ex Patre, duo Filii et Fra-

„ tres erunt. Sin ex Filio, nepos Patris erit „ Hæc (1) statuit: *Hic etiam Spiritus Sanctus nec ingenitus nec genitus creditur, ne aut si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus; aut si genitum, duos Filios prædicare monstremur*. Medio quodam igitur modo produci, sive procedere, esseque ἐκπορευτὸν, definit (2) Nazianzenus. Tandem qui Hilarium Pneumatomachis accenseri ajunt, quasi Spiritum Sanctum Deum esse verum summumque non crediderit; ac Joannes ille Crellius, Fausti Socini discipulus, qui tanti auctoritate Patris abutitur, errorique ipsum suffragari suo putat: minime prorsus audiendi sunt. Etsi enim Sanctus ille præsul in duodecim illis de Trinitate libris Deum nominatim non appellet Spiritum Sanctum; ea tamen illi tribuit, quæ veri supremique Dei propria sunt, et in creaturam non cadunt.

12. *Pater paterne Filius est, Filius autem filialiter Pater, etc.*) Noëtus Ephesius antiquam Epigoni Cleomenisque hæresim unam personam asserentem vehementer propugnavit, dicens, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum non modo natura, sed etiam pêrsona unum et singularem esse Deum, iis Scripturæ fretus testimoniis, quæ plures Deos esse negant, e. g. *Deut.* 32. *vers.* 39 ראו עתה כי אני אני הוא ואין אלהים עמדי׃. sive, juxta LXX. Ἴδετε, ὅτι ἐγώ εἰμι, καὶ οὐκ ἔστι Θεὸς πλὴν ἐμοῦ. *Videte, quod ego sum, et non est Deus præter me.*

Jesah.

(1) Tom. 15. pag. 506. corp. Concil. Paris. an. 1644.
(2) Orat. 37. pag. 597. b. tom. 1. ed. Par.

Jesah. 42. 8. אני יהוה הוא שמי וכבודי לאחר לא־אתן. *Ego Dominus*, *hoc* est *nomen-meum*; *et-gloriam-meam alteri non-dabo*. et 44. 6. אני ראשון ואני אחרון ומבלעדי אין אלהים *Ego primus*, *et-ego novissimus*, *et-præter-me non* est *Deus*. Adde Joan. *cap.* 17. *vers.* 3. et Apostolum 1. *ad Corint. cap.* 8. *vers.* 4. Ejusdem patrocinio dogmatis Sabellius Afer deinde successit, a quo Sabelliani ortum accepere: quo nomine secta illa nota est.

Error, qui circa annum Christi CCLVII. audiri cœpit, sic brevi, sed accurate exponit Epiphanius *hæresi* 62. *pag.* 513. *b.* Δογματίζει οὗτος, καὶ οἱ ἀπ᾽ αὐτοῦ Σαβελλιανοὶ, τὸν αὐτὸν εἶναι πατέρα, τὸν αὐτὸν ὑιὸν, τὸν αὐτὸν εἶναι ἅγιον πνεῦμα· ὡς εἶναι ἐν μιᾷ ὑποστάσει τρεῖς ὀνομασίας, ἢ ὡς ἐν ἀνθρώπῳ σῶμα, καὶ ψυχὴ, καὶ πνεῦμα. καὶ εἶναι μὲν τὸ σῶμα, ὡς εἰπεῖν, τὸν πατέρα, ψυχὴν δὲ, ὡς εἰπεῖν, τὸν ὑιὸν, τὸ πνεῦμα δὲ, ὡς ἀνθρώπου. οὕτως καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐν τῇ θεότητι. *Horum hæc opinio est*, *eundem esse Patrem*, *et Filium*, *et Spiritum Sanctum*, *ut ad eandem hypostasim tres appellationes conveniant*. *Aut perinde*, *atque in uno homine corpus*, *et anima*, *et spiritus inest*: *ita ut corporis instar sit Pater*, *animæ Filius*, *Spiritus denique in ipsa divinitate humani spiritus instar habeatur*. Ex Aristotelicis enim decretis Sabelliani, τὴν φύσιν καὶ τὴν οὐσίαν λέγοντες ὑπόστασιν, μίαν ὑπόστασιν εἶπον τῆς ἁγίας Τριάδος· *hypostasin pro natura et essentia sumentes*, *unam esse Sanctæ Trinitatis hy-*

postasin asserebant ; ac μονούσιον ajentes Deum, usiam cum hypostasi, sive persona, confundebant. Οὐσίαν igitur μίαν, seu μονούσιον θεὸν, Aristoteleo plane sensu dixerunt, ut substantiam primam, sive individuam in Deo singularem, et solitariam assererent tam secundum essentiam, quam secundum existendi subsistendique modum : quoniam talis ab philosophis οὐσία prima ponebatur, nempe τὸ ἄτομον, ἤτοι ἡ ὑπόστασις καὶ τὸ ἓν τῷ ἀριθμῷ, *individuum, sive hypostasis, et quod unum est numero*. Aristoteles namque *lib. Categ. cap.* 6. proprie ac primo eam esse docet, ἣ μήτε καθ᾽ ὑποκειμένου τινὸς λέγεται, μήτε ἐν ὑποκειμένῳ τινί ἐστιν, οἷον ὁ τις ἄνθρωπος, καὶ ὁ τις ἵππος· *quæ neque de subjecto aliquo dicitur, neque aliquo in subjecto est, ut hic homo, hic equus*. Sabellius igitur, ignave ab se discrepans, modo quidem unam hypostasin, sive personam, pro diversis functionibus diversa vocabula sortitam, interdum vero τρία πρόσωπα ἀνυπόστατα, *personas tres per se minime subsistentes*, et quasi partes totius alicujus, constituebat contra, atque orthodoxi, qui non personas utcumque tres, sed τρία ἐν ὑποστάσει πρόσωπα, aut ἐνυπόστατα profitemur. Est enim ὑπόστασις solidum aliquid, quod reipsa extet, nec specie tenus appareat. Proinde ὑπόστασιν habent, et ἐνυπόστατα dicuntur quæ ad hunc modum existunt. secus ἀνυπόστατα, quæ in se ac vere talia non sunt, qualia videntur ; sed fictam et imitatricem habent verorum imaginem. Cæte-

Cæterum sicut Ariana perfidia Gentilem superstitionem, ita Sabelliana Judaïsmum, inducit, quemadmodum Basilius loquitur *Homil.* 24. *pag.* 189. *e tom.* 2. *ed. Par.* Ajebant enim cum Marcellianis, Deum Patrem ipsum sibi Filium, ipsum sibi Patrem, ipsum sibi Spiritum Sanctum esse, ipsum incarnatum, passum, crucifixum, ipsum a Judæis omnia pertulisse, resurrexisse a mortuis, omnia denique peregisse, quæ nos per Christum in propria ejus persona pro humani generis salute gesta esse credimus et confitemur. Quamobrem erudite Cyrillus eos refellit, (1) urgens: Εἰ ὁ αὐτός ἐστιν ὁ υἱὸς καὶ ὁ πατὴρ, ποῖον ἔχει λόγον ἡ τῶν ὀνομάτων διαστολὴ; εἰ μὴ γὰρ ὅλως ἐγέννησεν, ἵνα τί καλεῖται πατὴρ; πῶς δὲ ὅλως υἱὸς εἰ μὴ ἐγεννήθη παρὰ πατρὸς; *Si qui est Pater, ipse quoque Filius est, quam habet rationem nominum illa distinctio? Nam si omnino non genuit, quorsum vocatur Pater? Quinam porro Filius est, si non est a Patre genitus?* Et (2) Hilarius. *Non per se est, qui per nativitatem est, neque non natus est, qui Filius est: neque qui Filius est aliter potest, quam nascendo, esse, quod Filius est.* Itaque vel sola Filii appellatione utraque ex adverso tam invicem, quam catholicæ professioni contraria hæresis, Sabelliana et Ariana, evertitur. Nam, ut notat Nyssenus *contra Eunomium lib.* 2. *pag.* 91. *a.* ἡ τῆς υἱοῦ προσηγορία οὐχ

(1) Lib. 1. in Joan. cap. 2. pag. 16. c. tom. 4. ed. Par.

(2) Initio libri 12. de Trin. pag. 1114. a. ed. Par.

ἐχ ἁπλῶς τὸ ἔκ τινος εἶναι σημαίνει, ἀλλ' ἰδίως τὴν κατὰ φύσιν οἰκείωσιν διὰ τῦ σημαινομένυ παρίςησιν. *ipsa filii appellatio non simpliciter ex aliquo esse significat, sed proprie naturalem propinquitatem notione sua exprimit*. Igitur filii nomen ὁμοὐσιον indicat esse Patri Verbum, hoc est, eadem natura et divinitate præditum, adeoque sempiternum et æquale per omnia; non autem creatum et factum: Τίς γὰρ, ἀκύων υἱὸν, ὐκ ἐνθυμεῖται τὸ ἴδιον τῆς τῦ πατρὸς ὐσίας; *Quis enim*, inquit (1) Athanasius, *audiens filii nomen, non statim intelligit, quod paternæ substantiæ proprium est?* Sane τὸ υἱὸς ὄνομα, τὸ ὐσιωδῶς ἐκ πατρὸς γεγεννῆσθαι δηλοῖ, *nomen filii substantialiter a patre genitum esse significat*.

Quamvis Patris et Filii ipsa eademque substantia est, non propterea necessario sequitur, Filium esse Patrem, et Patrem Filium. Relationes enim non ita se habent secundum substantiæ modum, verum ex κατηγορίας ratione, præter ea, quæ substantialiter in Deo dicuntur: siquidem substantia non dicitur ad aliquid, neque aliquid aliud identificatum substantiæ eorum, quæ communiter absoluteque dicuntur. Igitur sicut sapientia, quando quidem in Patre consideratur, relatione et respectu ad substantiam communis est Filio; cum vero consideratur Pater ut sapientia generans, non est

(1) Lib. 2. contra Arianos pag. 502. a. tom. 1. par. 1. ed. Par.

est eadem sapientia genita, quæ Filius est, propter relationem ad invicem; ita ſane paternitas et filiatio, relatione quidem ad substantiam idem sunt (1) (Basilius, ὅπερ ἐστὶ κατὰ τὴν οὐσίαν ὁ πατὴρ, τοῦτο ὀφείλει νοεῖσθαι καὶ τὸν υἱὸν. *quod est Pater secundum essentiam, hoc et Filius intelligi debet.*) oppositione vero ad invicem, sunt oppositæ, et neutra est altera. Ac quoniam in Deo perfecta est paternitas et filiatio quum absolute in substantia considerantur; relatione quidem ad substantiam ſunt idem, quemadmodum et in ceteris, quæ absolute Dei substantiæ attribuuntur: oppoſitione vero ad invicem, ex relativis sunt oppoſitæ. Ergo juxta quod paternitas in substantia consideratur, hoc est, secundum communia et absoluta, paternitas in Filio est, et filiatio in Patre; secus nullo prorsus modo paternitas filiatio est, quatenus ad invicem ſunt oppositæ ex relativi ratione. Nam prima hypostasis Pater est, secunda Filius; et neque Filius est Pater, neque Pater Filius ex oppositionis relativorum ratione: non ſunt unum, propter numerum personarum; ſunt autem substantiæ ratione, et secundum productivam potentiam, quam communem esse necesse est, quum nihil cogat, ut separatim propria sit ac solius Patris; at generare constitutivum Patris, oppositionis ratio non sinit, ut Filio commune sit; idcirco generare ac generari etiam incom-

(1) Epist. 226. pag. 348. a. tom. 3. ed. Par.

communicabilia sunt. Non igitur quia una est substantia tribus, etiam relatio personæ communis est tribus, propter oppositionem ad invicem relativorum. Eadem enim relatio ex proprii generis ratione, quatenus relatio est, non habet esse in alio; sed magis esse ad aliud: quoniam etsi deitas et hypostasis idem sunt, non tamen sequitur, Patris Filiique eandem et hypostasin esse; quippe quæ, quatenus consideratur in Patre, ipsa deitas est Filiique substantia; minime vero quatenus consideratur ad aliud: quandoquidem vel Filii hypostasis Patris deitas est ratione eadem, neque vero Patris hypostasis propter oppositionem ad invicem.

Deitas porro naturam significat: Pater autem aut Filius vel Sanctus Spiritus, hypostasin; et hypostasis præcise cum proprietate idem est (ἡ ὑπόστασις, inquit Chrysostomus, καὶ τὸ πρόσωπον, καὶ ἡ ἰδιότης ταὐτὸν σημαίνει.) proprietas autem, in Patre paternitas est, in Filio filiatio, in Spiritu Santo processio. Aliud est monas, aliud trias; at eadem vere monas est trias dicta: illud ratione substantiæ, hoc existendi modo. Igitur paternitas, cum in substantia consideratur, eadem est cum substantia Patris et Filii; cum vero Patri attribuitur secundum relationis modum, non est in Filio. Nam eadem quidem est in Patre Filioque substantia; sed eadem est, in Filio ut accipienti ab aliquo, et tamquam sit ex aliquo, nimirum Patre: in Patre ut alteri, nempe Filio, eam communi-

municante ; et a quo scilicet alia persona subsistit : atque ibi in Filio eadem genita, heic in Patre generativa : qui ὐσιωδῶς quidem essentiam et vitam habet, qua Filius, quum ejusmodi sit divinitatis modus, increatum, indivisibile, simplex esse; ac Filius perinde citra creationem et divisionem essentiam habeat, ac Pater : at secundum relationem et personales proprietates, minime vero. Quippe Filius non eadem ratione essentiam habet, qua Pater, quatenus ἀγεννήτως ille eam habet, γεννητῶς iste. Atque eadem essentia, quatenus paternitate, ut ita loquar, imbuitur aut ἀγεννησίᾳ, Patris persona est : ut autem cum filiatione conjungitur, Filius est. Vel, quod eodem recurrit, eadem essentia ab paternitatis proprietate habet, ut ab alio non communicetur : ab filiatione vero, ut ab alio derivetur. Hinc Pseudo-Dionysius Areopagita *cap. 2. de divinis nominibus, pag. 167. a. ed. Par.* θεότητα, *divinitatem*, ut in Patre est, θεογόνον, *Dei-genitalem* vocat; ut vero in Filio, ὑϊκὴν, *filialem*, appellat. Propterea utrumque, Patrem et Filium, alium atque alium dicimus, ne personas confundamus: neque aliud, atque aliud, ut in Christo incarnato, ne essentiæ diversitatem indicemus. Itaque (1) Fulgentius, *Una est*, inquit, *Patris et Filii et Spiritus sancti essentia, quam Græci ὐσίαν vocant, in qua non est aliud Pater, et aliud Filius, et aliud Spiritus sanctus;*

quam-

(1) De Fide ad Petrum cap. 1. pag. 20. b. append. tom. 6. Operum S. August. ed. Venet.

quamvis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus: quia neutrius nominibus essentia, masculinis persona, exprimitur.

Præterea relationum natura est, opposite ad invicem dici, et neutram esse, qualis est altera. Quapropter neque paternitas est filiatio, neque filiatio est paternitas; nec tamen fieri potest, ut dicatur habere aliquid Pater, quod non habeat Filius; vel Filius, quod non habeat Pater. Nam una eademque res partim Filio, partim Patri convenit: unde generare Filio non est attribuendum, quippe omnia communia sunt, ubi relationis oppositio non adversatur, ob quam paternitas cum filiatione minime communicat. Pater igitur et Filius, excepta oppositione ad invicem, quæ est principii et ejus quod est a principio, unum sunt atque idem numero. Quod et de sancti Spiritus relatione dicendum est.

Quamobrem illa quorumdam Theologorum verba „ Pater, quo Pater est, in Filio esse non po„ test. et vicissim Filius, quo Filius est, in Patre „ esse nequit „. non sic interpretanda sunt, quasi Filius, ut Filius, non sit in Patre. Est enim revera in Patre etiam proprietas ipsa personæ Filii, id est filiatio, quatenus eadem res est cum substantia communis, quemadmodum et paternitas inest in Filio; non tamen paternitas est filiatio, aut Pater Filius. Verum hoc unum indicant, ob eandem in utroque naturam et essentiam dici Patrem esse in Filio, et Filium in Patre; at non pari modo

esse

esse alterum in altero, propter eandem in utroque proprietatem: quoniam et duæ sunt, non una tantum, et singulæ personæ singulis constant, nec duabus quælibet: sicut eadem essentia, ἀμέριστος ἐν μεμερισμένοις, *individua in dividuis*, ut loquitur (1) Nazianzenus, singulas adjuncta proprietate constituit. Quocirca personarum distinctio non ad id valet, ut vel una ibi esse queat, ubi non sit alia; vel sola ubique sit essentia, persona autem non ubique: sed ut nulla confusio sit.

Unitas essentiæ, vel potius identitas, hoc efficit, ut omneis et in se mutuo et simul sint; proprietatum vero diversitas, ut tanquam alius in alio esse dicatur: quo in utroque περιχώρησις tota illa consistit personarum εἰς ἀλλήλας, mutua et necessaria copulatio, quæ id efficit, ut ipsa eadem Patris substantia sit in Filio eaque in alterutro conspecta, videri alterum necesse sit. Hinc (2) Fulgentius, *Per hanc unitatem naturalem*, inquit, *totus Pater in Filio et Spiritu sancto est, et totus Filius in Patre et Spiritu sancto est, totusque Spiritus sanctus in Patre et Filio est. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est, quia nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate*. Ergo numerica illla naturæ unitas, quæ in Patre manens, Filio communicatur, in personalibus proprietatibus distincta est; ita ut vir-

(1) Orat. 37. pag. 601. b. ed. Par.
(2) Lib. de Fide ad Petrum cap. 1. pag. 20. a. append. tom. 6. oper. S. August. ed. Venet.

virtus virtutem, natura naturam in se habere, ac Filii natura naturæ Patris indifferens, dicatur. Eadem nempe in Patre natura est; sed quia in Patre incommunicata, communicata in Filio, una ab altera propter proprietates cujusque personæ, in qua natura subsistit, distinguitur.

Hoc modo illa omnia, quæ Deo per se conveniunt, quæque divinam ejus naturam, essentiam, et absolutas conditiones, quæ *attributa* vocantur, spectant; ea sunt peræque in personis tribus, nec in ulla discrepant: in quarum unaquaque proprietates quædam et notæ sunt, ut in Patre, quod a nullo principio sit, quod Filium generet: in Filio, quod a Patre gignatur: in sancto Spiritu, quod procedat. Ea autem σημεῖα et γνωρίσματα communem illam naturam definiunt, et ad unam peculiarem subsistentemque personam, a ceteris distinctam, applicant. Hinc (1) Basilius, Ὃν ἔχει λόγον τὸ κοινὸν πρὸς τὸ ἴδιον, inquit, τοῦτον ἔχει ἡ οὐσία πρὸς τὴν ὑπόστασιν· ἕκαστος γὰρ ἡμῶν καὶ τῷ κοινῷ τῆς οὐσίας λόγῳ τοῦ εἶναι μετέχει, καὶ τοῖς περὶ αὐτὸν ἰδιώμασιν ὁ δεῖνά ἐστι, καὶ ὁ δεῖνα. οὕτω κἀκεῖ ὁ μὲν τῆς οὐσίας λόγος κοινὸς, οἷον ἡ ἀγαθότης, ἡ θεότης, καὶ εἴ τι ἄλλο νοοῖτο· ἡ δὲ ὑπόστασις ἐν τῷ ἰδιώματι τῆς πατρότητος, ἢ τῆς υἱότητος, ἢ τῆς ἁγιαστικῆς δυνάμεως θεωρεῖται. *Quæ est ratio communis ad proprium, eandem habet usia ad hyposta-*

(1) Epist. 214. ad Terentium pag. 322. e. tom. 2. ed. Par.

postasim. Nam unusquisque nostrum, et per communem essentiæ rationem esse participat, et per suas proprietates ille et ille existit. Sic in Deo essentiæ ratio communis est, velut bonitas, divinitas, et siquid aliud cogitatur: hypostatis vero in proprietate paternitatis, aut filietatis, aut virtutis sanctificantis cernitur.

13. *Siquidem unus Deus Trinitas est.*) Catholici dogmatis in eo summa consistit, ut neque singularem ac solitarium Deum Iudaico more credamus, neque plures tamen asseramus Deos: cujusmodi Gentilium, eorumque, qui ab iis proximi sunt, hæreticorum, Arianorum præsertim, invexit error. Nam etsi Deus est Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus; non tres ideo sunt Dii, sed unus in trinitate Deus: unde est mira illa, et *ὥσπερ αἰνίγματι καινὴ καὶ παράδοξος διάκρισίς τε συνημμένη καὶ διακεκριμμένη συνάφεια*, *veluti in ænigmate nova atque admirabilis trium horum discretio conjuncta, et conjunctio discreta*, ut loquitur Basilius *epist.* 38. *pag.* 119. *a.* Est quippe Deus unus, hoc est singularis et individuus; non quomodo multi homines unus homo dicuntur, sed ut quilibet illorum unus est: ita tamen, ut hic ipse unus ac singularis Deus tres personæ sint reipsa distinctæ, minime vero separabiles: inseparabilis enim naturæ unitas non potest separabiles habere personas. Itaque (1) Alchuvinus, *Hæc summæ Trinitatis*, in-

h quit,

(1) Lib. 1. de Trinit. cap. 15. pag. 716. b. ed. Par.

quit, *atque individuæ unitatis natura, quæ sola est ubique tota, sicut ubique inseparabilem habet unitatem naturæ vel operis, sic separationem non potest recipere personarum. Hinc est, quod divina essentia, si cum personis comparetur, neque genus est, cujus illæ sint species, neque species, cujus eadem individua sint personæ.*

Cæterum cum Trinitatem Deum esse dicimus, nihil amplius enunciamus, quam commune ac legitimum illud, tres personas unum esse Deum: quandoquidem quum *Trinitas* nominatur, personarum subaudienda vox est; ac personis tribus commune nihil debet existimari, nisi quod non solum de tribus simul sumtis dicitur, sed etiam de singulis seorsum: cujusmodi sunt illa dumtaxat, quæ absoluta et ἰδιώδη vocantur. Præterea vox *Trinitas* non abstractum nomen est, tametsi ejus similitudinem habeat: prorsus enim est ἡ τριάς, quod collectivum trium sub una essentia personarum nomen. Nam, docente S. (1) Thoma, collectivum nomen duo significat, *pluralitatem suppositorum, et unitatem quandam, scilicet ordinis alicujus*.

Jam quod ad primum attinet, trinitatis nomen cum nominibus collectivis ait convenire; ad secundum autem, differre, *quia in divina Trinitate non solum est trinitas ordinis, sed cum hoc etiam unitas essentiæ*. Sic igitur res habet, ut neque persona

(1) In part. 1. quæst. 31. art. 1.

sona sola proprietas sit ; sed natura ipsa personali proprietate , id est modo existendi suo subsistens ; ac Trinitatis vocabulum tres indicet non naturas aut essentias , verum personas in una divinitatis natura subsistentes : non qua unum natura sunt, sed qua in eadem natura proprietatibus distinctæ multitudinem faciunt. Nam trinitatem, sive ternarium numerum, personæ constituunt eo ipso , quod invicem differunt: quippe numerus est eorum, quæ differunt; nec numerari ea possunt, inter quæ nulla distinctio est , ut erudite disserit Damascenus *lib. 3. de Fide orthodoxa cap. 8. pag. 216. a. tom. 1. ed. Par.*

Hinc notandum, vocem *triplex* voci *trinitas* similem ac significatione fere parem, haud probatam esse ad mysterium illud exprimendum. Nam trinum Deum dicimus, triplicem non dicimus; *alioquin minor esset Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater et Filius*, ut (1) Augustinus observat. Non enim tres sunt, sed una simplexque Deitas, quæ trina hoc nominatur , quia personis tribus communis est; atque in tribus una eademque inest sine ulla divisione sui vel collatione : quamquam cum aliquibus Græcis Nazianzenus χεομένην eam soleat nuncupare ; nec τρισσὴν illam Θεότητα poëtica licentia (2) dicere dubitaverit . Cæterum (3) Augusti-

h 2

(1) Lib. 6. de Trin. cap. 7. pag. 848. g. tom. 8. ed. Venet.

(2) Carm. 3. Arcanor. pag. 164. b. tom. 2. ed. Par.

(3) Epist. 170. ad Maximum medicum pag. 609. e tom. 2. laud. ed.

stinus, *Trinitas*, inquit, *unius est ejusdemque naturæ atque substantiæ, non minor in singulis, quam in omnibus, nec major in omnibus, quam in singulis; sed tanta in solo Patre, vel in solo Filio, quanta in Patre simul et Filio; et tanta in solo Spiritu Sancto, quanta simul in Patre et Filio et Spiritu Sancto*. Et (1) iterum „*In summa Trinitate tantum est una, quantum tres simul; nec plus aliquid sunt duæ, quam una: et in se infinita sunt. Ita et singula sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia*.

Optime igitur tota Trinitas Pater, Filius, et Spiritus Sanctus unus Deus esse dicitur, quod Luthero, Calvino, et similibus displicuit. Ac (2) Toletana Synodus undecima in fidei professione, postquam edixit, *Sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum naturaliter esse unius substantiæ, unius naturæ, unius quoque majestatis atque virtutis*; addit, non recte dici posse, *ut in uno sit Trinitas, sed unus Deus Trinitas*. Huc attinet, quod antiquitatis usu contritum est, *Unum est Trinitas*: siquidem unum in genere neutro idem est, ac Deus unus, vel una substantia, aut divinitas una. Sic *tres unum sunt* dixit Cyprianus *epist. 73. ad Jubajanum pag.* 133. *ed Par.* 1726. Vocabulum enim *unius*, quum masculino

(1) Lib. 6. de Trinit. cap. 10. pag. 852. a. tom. 8.
(2) Tom. 15. pag. 505 - 06. Collect. Concil. Par. an. 1644.

no genere ponitur, ut *unus* dicatur, singularitatem significat non naturæ, sed personæ; nec illi substantivum nomen *Deus* respondet, nisi exprimatur: ut cum dicitur ab (1) Augustino, Trinitatem non tres Deos, sed unum esse Deum. Nam si diceretur, *Trinitas est unus*, non jam Deus intelligeretur, sed una persona: quod proinde non licet usurpare, utpote Sabellianismum inducens.

Ariani contra, Trinitatem ex tribus componebant personis inæqualibus, et substantia diversis, quarum singulæ singulis constarent ut naturis, ita proprietatibus naturæ. Itaque formas iis inesse putabant totidem, quot sunt individuæ personæ: quas quidem formas qui tolerabilius insaniebant in illo grege, in Patre saltem Filioque ponebant per omnia similes: quemadmodum in hominum genere filii sunt patrum similes, et binæ in duobus naturæ sunt, totidemque naturales affectiones. Quamobrem duo illic homines sunt; et sentientes, intelligentes, volentes duo: quoniam formæ sunt, a quibus eæ denominationes oriuntur, numero et reipsa diversæ. Quod ne idem de tribus divinitatis personis existiment Christiani, jure optimo hæc in Symbolo credendi formula proponitur, ita singulas personas Deum esse, æternum, omnipotentem; ut tamen non sint tres Dii, nec æterni, aut omnipotentes: sed unus Deus, unus æternus, unus denique omnipotens.

Deos tandem tres usurpari nefas arbitror, quod non

(1) Lib. 1. de Trinit. cap. 5. pag. 753. f. tom. 8.

non solum adversus Arianos, sed etiam contra Gentiles ea nos cautione sacra Eloquia præmuniunt, ut ne plures Deos appellemus, cum ita scriptum sit *Devarim sexto*, *vers.* 4. et a Christo Domino confirmatum *apud Marcum cap.* 12. 29. שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד : *Audi*, *Israël*, *Dominus Deus-noster*, est *Dominus unus*. Quod Augustinus animadvertit. Possent nihilominus tamen dici non Dii tres, sed tres divini, sive divinitate præditi, si ita Ecclesiæ sanctorumque Patrum ferret usus. Dei quippe nomen, quum sit ex eorum genere, quæ *concreta* vocantur, formam denotat non *abstractam* ab individuis proprietatibus, verum in iis subsistentem. Est enim Deus substantia quædam divinitate prædita. Itaque tum *in Psal.* 45. *vers.* 8. משחך אלהים אלהיך. *Unxit-te Deus*, *Deus-tuus*, et alibi; tum in enuntiationibus hisce: *Pater est Deus*, *Filius est Deus*, *Spiritus est Deus*, vox semper ad naturam, sive οὐσίαν, refertur.

Hactenus fuit, quod in tanto rerum æstu quam brevissime a nobis super ejusmodi Ecclesiasticæ antiquitatis rudere scribi potuit et adnotari: magnis enim jam defesso laboribus, de seque haud mediocriter solicito, præter tot delicias fastidiorum oscitationesque male feriatorum hominum supina ac semisomni lectione nihil nisi vellicandi ansam captantium, a quibus magnopere cavendum fuit; ne ad libitum quidem evagari per typographum licuit. Ut ut vero sit, quicquid præstitimus, illud saltem æqui bonique ideo consulatur oportet, ut

Digitized by Google

ut levatus animus promptior ad alia alacriorque fiat. Tandem, ne ingrati animi rei merito traducamur, gratissimo in præsentiarum officio fungi necesse habemus, Chisioque Principi humanissimo, qui per Genitorem hæc qualiacumque nobis otia fecit, immortales grates memori mente persolvere.

FINIS.

VA1
1512573

SPHALMATA	RESTITUE
Pag. xxxv. *not.* La Quien	Le-Quien
6. lin. 21. disugerent	disjugerent
23. unxit	junxit
7. 2. subscrispit	subscripsit
21. *not.* verbi	verbis
26. lin. 4. ὥπερ	ὥσπερ
46. 22. Melectio	Meletio
57. 24. aliis	alii
60. 9. quidem	quidam
84. *not.* ut	&
98. 12. ῆ	τῆ
103. 10. error	errorem

Digitized by Google